

EVERARDI OTTONIS,
ANTEC. DUISB.

PAPINIANUS,

SIVE

DE VITA, STUDIIS,
SCRIPTIS, MORIBUS
ET MORTE

ÆMILII PAPINIANI,
JURISCONSULTORUM
CORYPHÆI,

DIATRIBA.









LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS,
M DCC XVIII.


Seneca Epiſtola XI.

Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus.



Celeberrimis atque Consultissimis
VIRIS,
GERARDO NOODT,
ET
CORNELIO VAN ECK,
Jureconsultis, Antecessoribus
& Belgicæ suæ Papinianis,

S. P. D.
EVERARDUS OTTO.




Emoriam Virorum Illustrium scriptis celebrari, interest generis humani, & omni ævo laudabile visum fuit *Viri Clarissimi*. Veteres



teres Lælii, vel Catonis, vel alicujus ducis optimi laudes canebant, ut alteri sæculo prodessent. Plinius eos, qui talem operam suscipiunt, defunctorum *Amicos* vocat. Nec aliud profecto laborum & virtutis præmium magis debetur armis togave claris, quam ut pie eorum recordetur posteritas, & in Memoriæ fano statuam iis cum elogio ponat. Multos olim eo honore defraudatos queritur Flaccus, qui longa nocte ignoti sacro vate carent, & illacrimabiles urgentur. Idem fatum ne Jurisconsultos maneret, jam Adriani tempore cavit Pomponius. Ipse Justinianus Veterum Prudentium nomina, &

singu-

ſingulos libros, ſingulis legum capitibus, anxia diligentia, inſcribi juſſit; ut inde conſtaret, ex quibus Legislatoribus, quibusve libris, & quot millibus Juſtitiæ illud templum eſſet ædificatum. Nec ſane jucundius quicquam aut utilius videri poteſt, quam vitas eorum noſſe, à quibus jus illud, quod indies evolvimus & enarramus, profectum eſt. Sive enim ad rationem ſtudiorum, ſive ad prudentiæ exiſtimationem, ſive ad vitæ integritatem, ſive ad mentis erectæ altitudinem animum attendimus, laudatiſſimi fuerunt, qui ſymbolam ad Pandectas contulerunt, omnes ſola virtute ad ampliſſimas quasque dignita-

tes evecti. Horum imagines quisquis intuetur, Jurisconsultorum munus majus quippiam esse intelligit, quam quod in degeneres animos cadere queat. Satis etiam superque res ipsa nunc testatur, nisi sciamus, qua quisque Jurisconsultorum vixerit ætate, cui familiæ adhæserit; quod cuique fuerit ingenium, quam Philosophiam didicerit, qua Latinitate fuerit usus, semper in luto nos hærere, & inexplicabilibus cruciari nodis. Hinc patrum memoria alii eorum Historiam composuerunt, cum gloria & laude: alii Pomponium notis ornarunt eruditis, & spes est brevi novam ei lucem beneficio & eruditione Amplissimi

apud

apud Vos Senatoris accessuram. Alii denique singulos sibi Scævolas, Labeones, Capitones, Sabinos, Trebatios, Pomponios fingendos & curatius describendos sumsere: quorum gloriosis exemplis concitatus, Papiniani, Jurisconsultorum Antesignani, Vitam, Studia, Scripta, Mores & Mortem, pro mea virili adumbrare tentavi. Enimvero quum diu multumque mecum aliquando meditarer, quinam pauci & rari illi essent Jurisconsulti, quos plena juris civilis scientia ditatos, perfectæ doctrinæ soliditatem recepisse, scribit Theodosius Imperator: commodum incidi in Emundi Merillii observationem; Servium Sulpitium, Sal-

Salvium Julianum & Æmilium Papinianum ceteris maxime palmam præripuiſſe. Quos Triumviros attentius deinde obſervans, ex nummis, inſcriptionibus ceterisque veterum monumentis nonnulla, aliud etiam agens, annotavi, quibus eorum Hiſtoria illuſtrari poſſit. Nec metus erat, inanem operam his inſumtum iri: nam quemadmodum tres Principes Magni, Conſtantinus, Theodoſius & Juſtinianus totidem quaſi epochas in Codice conſtituunt; ſic in Pandectarum fragmentis ad ſingulas ætates, quæ ſingulos illos Jurisconſultos tulerunt, attendendum puto. Accedit, quod Ciceronis cavillationibus pro

Mu-

Muræna, necdum ab aliquo, neque ab Aonio Paleario, ut artis nostræ Majestas postulabat, est satisfactum; ad quarum refutationem, publico nuper sermone inchoatam, Sulpitii laudes pertinent omnino. Historia autem Edicti Perpetui dudum affecta, nonum vero in annum premenda, Juliani vitam capite singulari complectetur. Sic igitur Papinianus ætate posterior primus in lucem prodit: & princeps merito locus illi debebatur, qui à Theodosio omnibus Jureconsultis prælatus; quemque Zosimus tam cognitione, quam expositione legum, omnes ante pariter & post se Romanos superasse scribit. Aliquoties in-

lumina, vires hic ſunt pericli-tati, eoque ad ſummam glo-riam & immortalitatem con-tenderunt. Itali etiam, Bartho-lomæus Socinus, Jureconſultus Senenſis, & Joſephus de Ruſti-cis, Patricius Aquilanus, aliquid hoc in genere ſuſcepere; uter-que in commentario ad divinum Papiniani Reſponſum in l. 102. D. de Conditionibus & demon-ſtrationibus. At ille nec ab ele-gantia ſermonis fuit inſtructus, nec ubique laudem integritatis ſervavit: hic in evehendis Sa-mnitibus, & prædicatione civi-tatum Beventi & Aquilæ maxi-mam partem occupatur. We-ſenbecii, Heigii & Beſoldi, Ger-manorum, de Papiniano ora-

tiones

tiones ad manus nostras non pervenerunt, nec forte sunt tanti. Ipse quid præstiterim, Vestro judicio, quam ex me intelligi malim. Bartolo & Baldo muneris & professionis ratio quotidie me devinxit; inter quos id genus amœnitates frigent. Jus illud, quo Principes & privati in civitate nostra utuntur, quove salvis moribus cujusque patriis uti queamus, tractandum est studio principali. Verum si alia desunt, methodus saltem & via, nullius ante pedibus trita, novitatis mihi gratia blanditur; & erit forte, ubi majore cura Papinianum exornabo, cujus hæc duxi lineamenta. Ceterum quicquid hujus est,

Viri

Vobis etiam aliisve rectiora monstrantibus, corrigendi laborem non defugiam: quis enim in his talibus omnia videt? nedum homullus ego. Denique haud disjungendi videbamini, quos non Patriæ tantum & Amicitiæ, sed Artis insuper, & Muneris, & Morum pulcherrimorum necessitudo conjunxit. Valete, *Viri Celeberrimi*, & ad Academiarum Vestrarum splendorem, æternumque litterariæ rei decus, seri in cœlum redite. Dabam Duisburgi ad Rhenum, Pridie Kalend. Novembr. cIↄ Iↄccxvii.

CAPUT



CAPUT I.

DE PATRIA PAPINIANI.

§. I. *Itali Beneventanum faciunt, ex male intellecta l. 57. pr. D. ad SCt. Trebell.* II. *Potius SyroPhœnix videtur. Spartianus & Dio explicati. L. 1. & ult. D. de Censibus illustrantur.* III. *Syri jam inde à Domitiano frequentes Romæ & accepti; quæ ejus causa. Juvenali lux.* IV. *Phœnices Papiniani æquales in Urbe clari. De Ulpiani & Paulli patria quædam non vulgaria.*

§. I.



Nil certi hoc capite spondere ausim, quia de ortu Papiniani silent omnes, qui ejus meminerunt, veteres Scriptores; nec est, cur anxie in externa hujusmodi inquiramus, cum suis defixa radicibus gloria ejus & virtus nitatur. Nus-

 piam



piam ſane in fragmentis, quæ Juſtiniani beneficio reliqua habemus, ipſe ſolum ſuum genitale indicavit: Marii vero Maximi pleniorem Severi, & virorum in aula ejus illuſtrium Hiſtoriam, invidioſa dies abſtulit; ut, præter pauca Spartiani & Victoris excerpta, nihil ejus, quam deſiderium, nobis ſuperſit. Quod igitur priſcis Annalibus deeſt, id recentiores hariolando conſequi allaborarunt; & dignus profecto eſt noſter, de quo Gentes non minus ambitioſe, quam olim de Homero, contendant. Itali in primis hoc curandum exiſtimarunt, ne decus hoc à Laribus ſuis divelleretur: ideoque Joſephus de Ruſticis in vita Papiniani, eum Benevento, Samnitium civitate, & ſplendidiſſima colonia, originem duxiſſe tradit: at ejus rei argumenta ſi requiras, ſibi ab aliis ita relatum fuiſſe, reſpondet. Quinam illi ſint, Rofredus an Socinus, ſcire non attinet; quandoquidem commentum hoc ex nimio patriæ ſuæ ſtudio, & prave intellecta *l. 57. pr. D. Ad SCtum Trebellianum* fluxiſſe mihi eſt perſuaſiſſimum. Verba legis, ex Papiniani lib. VIII. Reſponſorum, ſunt iſta: *Heredes mei, quidquid ad eos ex hereditate boniſve meis pervenerit, id omne poſt mortem ſuam reſtituant patriæ meæ, Coloniæ Beneventanorum.* Nihil *de fructibus*

pendente

pendente conditione perceptis petitum videri, constitit. Quis autem nunc vel ita tiro est, qui non videat, fideicommissi verba priora, à posterioribus Jurisconsulti, abrupte, ut solet, respondentis distinguenda esse? Voce enim Prudentum propria, ait, inter omnes constitisse, juris certi visum fuisse: pariter ac Cicero pro Flacco: *Retulit ad Jurisconsultos, constabat inter omnes.* Si aliter intelligas, eodem negotio Pamphilium aut Lycium efficies, ex *l.* 77. §. 20. *De Legatis lib.* 2. & Firmium Heliodorum fratrem ejus habebis, ex *l.* 26. *D. Quando dies legatorum cedat.* Quo nihil fingi potest ineptius.

§. II. Quod si omnino conjecturis hic indulgendum, ponam & meam, ea tamen lege, ut per illam ingeniosi non desinant esse diligentes, si quid melius excogitare poterunt. Probabilius enim Syrum, vel saltem, respectu parentum aut majorum, ex Syria oriundum fuisse, hoc pacto forsitan colligere licebit. Scribit Spartianus in Caracallo cap. VIII. memoriæ tradi: *Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Severo, & , ut alii loquuntur, affinem etiam, per secundam uxorem.* Juliam, nisi fallor, sapientem illam Orientis mulierem intelligit, quam Severus, amissa Martia, adhuc privatus, nec magni satis in Republica loci, è Syria

petiit, & accepit interventu *amicorum*, auctore eodem Spartiano in vita Severi, cap. III. Inter hos nuptiarum conciliatores Casaubonus in notis primas tribuit Faustinæ, uxori Marci; quod illa die nuptiarum lectum genialem, in æde Veneris Palatinæ, adornarat: at, nisi alia intercedunt, ego lubentius pro Papiniano starem; tum quia amici nomen ei magis quam feminæ competit, & diserte *amicissimus* Severo dicitur: tum etiam, quod Juliæ agnatus erat, & proxenetæ munere fungi poterat efficacius apud eam, quæ id genituræ habebat, ut regi jungeretur. Quoto autem gradu noster Augustæ fuerit conjunctus, haud facile dixerim. Si patruum vel fratrem credamus, non absurde idem utrique natale solum, quod Mœsæ sorori fuit, attribuemus: hanc vero Apamenam facit Dio Coccejanus libro LXXVIII. Emisenam Capitolinus in Macrino cap. IX. Nullo dissensu: teste enim Ptolemæo, in parva provincia Apamene, præter metropolin, Emisa (sive Emissa, Emesa, Emessa) urbs, studiis & templo, quod Soli consecratum celebris, ad Orientem sita fuit, quæ & honorem coloniæ Romanæ, & beneficium juris Italici à Bassiano accepit. Ita Ulpianus in l. 1. §. 4. D. de Censibus: *Emisenæ civitati Phœnices Imperator*

perator noster jus coloniæ dedit, jurisque Italici eam fecit. Nomen Imperatoris exprimit Paullus σύγχρονος in l. ult. §. 6. Titulo eodem: *Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam & juris Italici fecit.* Nec difficile dictu est, quid impulerit Caracallam, ita ut Emisam ornaret: sine dubio enim Papiniani pietas, paulo ante obitum, id promovit, & ipse Princeps ex Emisena matre erat natus; unde in ejus & Juliæ Domnæ nummo ΕΜΙCΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC legitur. Urbis antiquitatem celebrat Ammianus lib. XIV. *Phœnice regio acclinis Libano monti, plena gratiarum & venustatis, urbibus decorata magnis & pulcris: in quibus amœnitate celebritateque nominum Tyrus excellit, Sidon & Berytus, iisdemque pares, Emissa & Damascus, sæculis condita priscis.* De Regibus ejus multa Josephus.

§. III. Ut vero Papinianum eandem patriam habuisse, aut gente tantum & origine alienigenam fuisse credamus, facit præterea, quod Roma, omnium virtutum quondam mater, vitiis luxuque hoc tempore adeo diffluebat, ut vix unus Remi nepotum in studiis litterarum severa lege proficeret, & per virtutis tramites ad tantum fastigium adspiraret. Quamobrem provinciales primos quosvis honores, quin & ipsam

rerum summam occupabant, ac dein spretis Romanis gentilium affiniumque suorum ministerio domi & militiæ magis utebantur. Opportune Victor Schotti in Domitiano cap. XXIV. *Hactenus Romæ seu per Italiam orti imperium rexere: hinc advenæ. Unde compertum est urbem Romam externorum virtute crevisse.* Sub eodem autem Imperatore Syrorum præcipue multitudo, velut agmine facto, in urbem jam penetrarat, ut Juvenalis inde, sub Umbritii persona, largam conquerendi materiam sumserit, Sat. III. ℣. 58.

Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipue fugiam, properabo fateri;
Nec pudor obstabit: Non possum ferre, Quirites!
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achæi?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit.

Ratio, cur Phœnices, præ civibus honoratiores, purpurati discumberent, atque in Procerum amicitiam & familiaritatem reciperentur, fuit, quia ex cœli sui clementia, &

& conversatione cum vicinis Judæis, ingenio facili, & ad quævis apto erant, ut scribit Julianus in libro contra Galilæos apud Cyrillum, & confirmat Mela lib. I. cap. 12. *Phœnices*, inquit, *solers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Litteras & litterarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum prœliumque commenti.* Idque ipse Juvenalis satyrice quidem, sed tamen vel invitus, fatetur vers. 74. & sequentibus:

Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, & Isæo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quemvis hominem, secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus, omnia novit.
Græculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit,
Advectus Romam, quo pruna & cottana, vento.

§. IV. Quum ergo omnium artium professores Græculi, id est Syri, iisdem navibus, quibus parvæ ficus è Phœnicia advehebantur, Romam convolarunt, quis dubitet plerosque sedes ibi fixisse perpetuas,

multos etiam illis & sequutis temporibus juri discendo, vel honoribus consequendis operam dedisse? Huc sane referri debet Claudius Pompejanus, M. Antonini Imperatoris gener, qui patre licet cive & Equite Romano esset natus, non tamen origine Romanus, sed *genere, nec satis nobili, Antiochensis*, id est, Syrus erat, teste Capitolino in Marco cap. XX. Similiter Heliogabalus Imperator fuit genere ac natura Phœnix: & Alexandrum Severum, patre quamvis Senatore genitum, *hominem Syrum & alienigenam* vocat Lampridius cap. LXV. Adde Frontonem Rhetorem, eodem, quo Papinianus, tempore Romæ degentem, qui & Emisenus, id est, ejus popularis erat. Suidas: Φρόντων Εμισηνὸς, Ρήτωρ γεγονὼς ἐπὶ Σεβήρου τοῦ βασιλέως ἐν Ρώμῃ. *Fronto Emisenus, orator sub Severo Imperatore Romæ fuit.* Idem vero de Jurisconsultorum patria judicium esto. Quum enim Principes genere Hispani, Galli, Afri, Syri, Mauri, Thraces imperarent, quisque suæ gentis viros rebus gerundis præfecerunt; ut fortassis non inconcinne Pegasum, Arrianum, Julianum, Africanum, Tertullianum, Tryphoninum, Modestinum, & horum æquales alios, in peregrinorum numerum referamus, qui Jurisprudentiam magna diligentia olim excul-

tam,

tam, tunc vero inertia civium Romanorum nutantem reddiderint perfectam; ſicut plantæ alieno ſolo cultæ atque inſitæ, ſuaviores ſæpe & uberiores fructus producunt. Utique de Papiniani aſſeſſore & ſtudiorum æmulo, Ulpiano confidentius affirmare licet, Syrum fuiſſe. Ipſe cujas ſit, prodit in l. 1. D. de Cenſibus: *Syria Phœnice*, inquit, *ſplendidiſſima Tyriorum colonia, unde mihi origo eſt*. Prudentior hactenus Principe, cujus tutor & amicus erat, Alexandro Severo, qui Syrus dici noluit, & ob id reprehenſus eſt, auctore Lampridio cap. XXVIII. & LXIV. Noverat quippe Domitius nullam eſſe civitatem, quæ non & improbos cives aliquando, & ſervilem multitudinem, æque, ut generoſos viros habeat: idcirco magis eſt, ut hac patria ſua, glorietur; quemadmodum Apulejus in Apologia: *Veteranorum militum novo conditu, ſplendidiſſima colonia ſumus*. Alter Papiniani aſſeſſor & Ulpiani ſocius, Julius Paullus, unde originem trahat, in diverſa abeunt. Hotmanus per contemtum hominem Græcum appellavit: Bartachinus, Cujacius, Eberlinus, Patavinum faciunt: Bertrandus Syrum itidem fuiſſe multis argumentis demonſtrare anniſus eſt; quæ, qui volet, libro ejus primo de Juriſperitis legat. Singula autem erudite confu-

tavit Laurentius Pignorius, Symbol. Epistol. XLI. qui & scripto singulari Paullum Romae patriae asserere tentavit. Non licuit mihi esse tam felici, ut hujus copiam nanciscerer; puto tamen fundum ejus sententiae esse in Aurelio Victore, qui cap. XXIV. de Caesaribus, Paullum Juris auctorem ab Alexandro Severo *patriae redditum* testatur.

CAPUT II.
PARENTES, GENUS ET NOMINA.

§. I. *Parentes incerti. Grotius & Boldonius notati.* II. *Cur Aemelius in Pandectis Florentinis vocetur: quare Splendidissimus, & pulcherrimus. Tiraquelli error. Non ex gente Aemilia, sed plebejus.* III. *Tertium nomen ambiguum. Justinianus, Zonaras, Harmenopulus, Spartianus, & alii Papianum vocarunt. Lectio Novellarum contra Haloandrum defensa.*

§. I.

DE parentibus Papiniani minus laborandum videtur, si antiquus est titulus, qui Romae in palatio Cardinalis Genuensis fuit, & descriptus exstat apud Gruterum pag. CCCXLVIII. 8. In

8. In eo enim HOSTILIVS. PAPINIANVS. ET. EVGENIA. GRACILIS. PARENTES. INFELICISSIMI piis filii sui manibus parentant. At totum illud monumentum recentiore ævo effictum, & in cerebro Itali alicujus impostoris natum esse, capite finali plus uno argumento ostendam. Hic loci ille in antecessum scrupulus injici posset, minus curate patrem & filium diversis familiis, illum Hostiliæ, hunc Æmiliæ, adscriptos legi; cum usitatissimum fuerit patrum nomina ad filios transferri; nisi hi vel adoptione in alienam essent delati, vel matrum familiam sequerentur; neutrius autem indicia hic adesse. Verum quia religiosa illa Romanorum circa nomina observatio, hoc tempore jam exoleverat, & frustra eam ab hominibus Syris exspectemus, vereor ut hoc momento fides tituli infringi queat. Αμάρτημα etiam μνημονικὸν Guilielmi Grotii est, cum cap. IX. lib. II. de vitis Jurisconsultorum, matrem Papiniani *Æmyliam Gracilem* appellat: nil minus, ut apparet, agens, quam huic dubitationi ut subveniret; & vel sic quoque inscriptio emendanda aut supplenda foret. Turpiter autem se dedit Octavius Boldonius, in Præfatione suæ Epigraphicæ, & lib. V. cap. 3. membro 19. fol. 593. ubi matrem Papiniani,

ni, quæ apud Gruterum, è Mazochio & Metelli schedis, *Eugenia Gracilis* appellatur, *Eugeniam Gracilii* uxorem interpretatur. Qui enim, ut recte observavit Thomas Reinesius, quæ Hostilii Papiniani erat, simul fuisset Gracilii? Nec vir tantus, qui ad barbariem in hoc studiorum genere profligandam, omnes artificis nervos intendisse sibi videbatur, ignorare debebat, τὸ *Gracilis* inter cognomina à corporis habitu desumta fuisse: ut *Macer* Liciniorum, *Gracchus* Semproniorum, quos à gracilitate corporis ita dictos, scribit Charisius, & confirmat lapis apud Gruterum pag. MLXXV. 6. SEMPRONIVS GRACILIS. item pag. MLVIII. 1. PROBINA GRACILIS. Ceterum Gracilis illa cum suo Hostilio, vel quicunque demum alii fuerint parentes, gracili an splendido lare vixerint, non vehementer ad filium pertinet; qui omni licet subsidio destitutus, ut magnæ plerumque mentes, ad scopum suum pervenire poterat, & pervenit.

§. II. Ad gentem Papiniani venimus, quæ ex nominibus cognoscitur. Unicum autem horum, & postremum quidem, ex consuetudine illorum temporum, compendii gratia, veteres usurpant communiter: at Paullus alterum nobis conservavit, in *l.* 40. *D.*

de

de Rebus creditis, ubi: *Lecta est in auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti prætorio, Jurisconsulti, cautio hujusmodi.* Idem suggerit Justinianus, sed paulisper mutatum, in Constitutione de conceptione Digestorum §. 4. *Et ideo ea, quæ antea in notis ÆmElii Papiniani &c.* Ita Florentiæ, non vitio, sed antiqua scriptura; quam propediem, ut spero, fusius ostendet Henricus Brenkman, patriæ suæ & rei litterariæ decus. Interim obiter hic observo, librariis & marmorariis nil olim fuisse familiarius, quam E pro I ponere. Sic in vetustissimæ Duilianæ columnæ inscriptione NAVEBOS pro navibus habetur. Quintilianus lib. I. Institutionum Oratoriarum cap. 4. *Quid? non E quoque I loco fuit? ut Menerva, leber, Magester.* Atque ab hac vocalium ἐναλλάξει est, quod Fufecii, Fuficii: Opelii, Opilii: Antestii, Antistii: Methræ, Mithræ in saxis litteratis promiscue appellantur. Sed ad rem. Si à vanis & incertis gloriam Papiniano conciliare animus esset, tibiis inflatis eum referrem ad Æmiliam gentem, Patriciarum spectatissimam; quæque jam inde ab initio Reipublicæ multis insignibus viris decorata, originem suam ab Aimilio Trojano, & à Mamerco Numæ filio deducebat. Juvare hanc conjecturam videtur, quod in

eadem

eadem hac gente Paporum familia fuit, ex qua *Lucius* ille *Aimilius Papus*, qui de Gallis Cisalpinis speciosissimum triumphum egit: Papi autem cognomen, per adoptionem aliosve modos, in Papianus vel Papinianus potuit inflecti. Accedit, quod Imperator in Constitutione prima de Vetere jure enucleando eum *splendidissimum* vocat: quæ vox ad splendide natos, & spem Senatoriæ dignitatis habentes referebatur, ut Manutius lib. 1. fam. epist. 3. & Lipsius ad XI. Annalium cap. 4. observarunt. Sic Albia Terentia *splendida femina* apud Suetonium, & Accia Variola *femina splendide nata*, apud Plinium in Epistolis, minimum splendido Equite natæ intelliguntur. Ipsam denique Juliam, nostri, ut conjecimus, consanguineam, *nobilem Orientis mulierem* vocat Lampridius in Alexandro cap. V. Verum ego non adhæream tam infirmis rationibus, qui didici ab ipso Papiniano in l. 1. D. de Probationibus: *Quoties quæreretur genus vel gentem quis haberet, nec ne, id probari oportere.* Neque vero ex nomine, quod cum tot plebejis ei commune fuit, agnatio probari potest; quia frequens hoc ævo virorum magnorum erat vanitas, ut si humili loco essent nati, vel ex provinciis venissent, illustris cujusdam familiæ nomen adsciscerent,

quam-

quamvis nulla ejus cognatione tangerentur. Sic Macrinus in nomen Severi se insulsit; Alexander Metellorum gentem jactabat; Diocles, Imperator factus, Diocletianum se appellavit. Pariter ex *Splendidissimi* epitheto, haud felicius colligemus gentem, quam Tiraquellus ad leges connubiales, nostrum eximia & liberali forma fuisse statuit, quod ab eodem Justiniano in Epistola Pandectis præfixa §. 4. *Pulcherrimus* nominatur. Enimvero utrumque ad ingenii, dignitatis & virtutis splendorem ac pulchritudinem, ut optimi quique auctores, Latini & Græci, loquuntur, commodius referri potest. Julia autem, ob studium Philosophiæ, cui totam se dederat, animo, quam gente, nobilior fuit, testaturque Dio Cassius in fragmentis vitæ Macrini: *è genere plebejo in altum evectam esse.* Quocum egregie conspirat Spartianus, cum Papinianum *per se & per scientiam suam magnum* evasisse tradit in Severo cap. XXI. Et certe magis ad gloriam ejus facit, si virtute sua majoribus præluxit, & natalium obscuritatem meritis illustravit. Levis est, quæ à novis honoribus conflatur invidia: animi enim bona mancipii jure tantum possidemus, ceterorum proprietas & arbitrium est penes fortunam. Restat Papiniani cujusdam æditui sepulcrorum Sergiæ

familiæ

familiæ monumentum addamus, quod Romæ, extra portam Port. in vinea Atii Arcionis visum: quanquam enim is forte ad nostrum nihil, tamen non prætereundus fuit. Exstat apud Reinesium classe V. n. 53.

DIIS. MANIBVS
L. POLITICIENO. P. FIL.
PAPINIANO
AEDITVO. SEPVL. SERG.
FAMILIAE. AEDITVAVIT
ANN. XII. VIXIT. ANN. XVII
M. VI. POLITICE
NVS. L. F. PHILIPPICVS
SACERDOS. SERG. FAM.
FRATRI. PIISSIMO
FECIT. ET. SIBI

§. III. Vidimus nomen & cognomen, mirum, ni & prænomen, more nobilium Romanorum, habuit. Notus est Juvenalis locus Sat. V. ỳ. 128. *Tanquam habeas tria nomina*, & Ausonii de ternario numero: *Tria nomina nobiliorum*. Cujacius, Hotmanus & Bertrandus duobus contenti, prænominis sunt securi; id quod tamen proprium nomen fuit, unde Veteres cognoscebantur. Inscriptio Gruteriana *Æmilium Paullum Papinianum* vocat: Lectius *Paullum Æmilium*: Antonius Augustinus *Lucium Æmilium Papinianum*; quem recentiorum pleri-

que,

que, sola auctoritate ducti, sequuntur. Salus Graeciae hac in re sita non est, nihilque refert Paulli, Lucii, an Æmilii nomen praeponas, quia tota illa vetus ratio hac tempestate erat immutata, & quae praenomina fuerant in nomina, ut contra, nomina in praenomina saepius migrabant. Illud elegantiorem habebit inspectionem, cur Graeci & Latini nonnunquam Papianum appellarint, cum Pandectae Florentini, uterque Codex, Zosimus & Hieronymus constanter Papinianus habeant. Justinianus Novella constitutione IV. cap. 1. Παπιανὸς ὁ μέγας, & CVIII. principio: Παπιανῷ τῷ σοφωτάτῳ: sic enim in exemplari Scrimgeriano se reperisse tradit Haloander; sed tanquam vitiosum damnat. Est autem metaplasmi species, qua dictionibus longioribus, decoris caussa, media subducitur; Syncopam vocant. Eodem fere modo Zonaras tomo II. Annalium eum Παππιανὸν appellat: ubi Hieronymus Wolfius in margine recte monuit, plene Papinianum esse. Harmenopulus etiam, Nomophylax & Judex Thessalonicensis, lib. II. Πρoχ. tit. 4. qui de montium prospectu est, editionis Suallembergi pag. 133. ὁ Παπιανὸς scripsit. Atque multa hoc genus alia passim occurrunt; v. gr. Zosimus lib. I. c. 17. Σαβιανὸν nominat, quem,

 obser-

obſervante id Stephano & Sylburgio, Capitolinus rectius *Sabinianum* nuncupavit. Nec Græculi tantum, ſed & ipſe Spartianus in manuſcriptis codicibus, ſyllabam illam mediam in Papiniani nomine, velut moleſtam, abjecit ſemper, teſte Salmaſio in notis ad vitam Caracalli cap. III. Niſi, quod veriſimilius, *PapIaNus* ſcripſit; ut ſæpe geminatas litteras, ſive continuas ſive de proximo, non iterarunt veteres; unde tot errorum portenta irrepſerunt. Monachus quoque Caſſiodori coævus, in Collatione legum Moſaicarum, conſtanti lectione vetuſtiſſimi exemplaris, *Papianus libro definitionum*, habet plus ſemel, ut Petrus Pithœus, vir ſummus, teſtatur ad titulum II. Et auctor denique Breviarii Codicis Theodoſiani, quod vulgo Aniani dicitur, vel potius ejus librarius, ad *l.* 1. *C. Th. de Reſponſis Prudentum* ter Papinianum cum Papiano, recentiore illo Reſponſorum auctore confudit; forte quod homini ſumma iſthæc elogia convenire arbitrabatur, cujus ſcripta cum Paulli ſententiis, Codice Gregoriano & Hermogeniano uno corpore ambulabant. Tryphonini aliisque exemplis adhuc oſtendere poſſem, quam facilis in mediis ſyllabis omittendis librariorum fuerit lapſus; ſed id jam obſervarunt alii, & nominum reſtituendorum

rum

rum inanis forsitan est labor, inquit Cujacius lib. XII. Obs. 18. Lampridius etiam in Heliogabalo cap. XVIII. observavit, jam suo tempore, Antonii & Antonini nomen à multis confusum esse.

CAPUT III.

DE

AETATE PAPINIANI.

§. I. *Lapis, ad quem offenderunt Alciatus & Lectius, examinatur. Spartiani duplex peccatum. Papinianus natus sub Antonino Pio.* II. *Floruit sub Severo, Antonino & Geta Imppp. Gutherius refellitur.* III. *Non inchoavit Mediam Jurisprudentiam: Zasius notatur. Bartoli, Castrensis & Accursii nugæ.*

§. I.

ORdo postulat, ut de ætate Heroïs nostri agamus, antequam ad studia ejus & honores decurrat oratio. Levare autem nos omni molestia hic rursus videtur, præclara illa Papinianea inscriptio apud Gruterum, in qua VIXisse legitur ANNos XXXVI.

Menses IV. Dies X. Quod tempus, si ab anno ejus fatali, qui est Urbis conditæ 964. retro computemus, res facile est confecta. Imposuit hæc egregie omnibus, qui vitam Papiniani attigerunt; & post Alciatum procœmio lib. VI. Paradoxorum, Lectius in primis speciosum inde mutuatus est campum, velut rem inauditam evehendi, virum publicis curis occupatissimum, tenentem regimen imperii, adde difficillimis fere temporibus, tantum operum doctissimorum, tam exiguo vitæ spatio, scribere potuisse. Verum quod omnium fugit imprudentiam, unius Galvani reperit solertia: is enim cap. XIII. Dissertationum de Usufructu, totam illam memoriam, & quicquid de præcoci ætate circumfertur, velut suppositititium & adulterinum explodit. Immo si verum esse demus, plura in Historia Græca & Romana occurrunt exempla sapientiæ senilis in juvenibus, quos ἀνδράπαιδας Sophocles appellabat. Demosthenes puer admodum actiones pupillares habuit: Cæsar Augustus duodecim natus annos aviam pro Rostris laudavit: Cotta eo ipso die quo virilem togam sumsit C. Carbonem reum peregit: Nerva filius decimo & septimo anno publice de jure respondit: Celsus adulescens quoque de Jure scripsit, & Valerius Pudens

claritate

claritate ingenii anno ætatis decimo tertio, inter Poëtas Latinos coronatus fertur apud Gruterum pag. 332. 3. Rarum igitur, & præ ſæculi noſtri ignavia admirandum, ſed non ſine exemplo foret, ſi Papinianus ſexto & trigeſimo anno tot Reſponſorum & Quæſtionum libros reliquiſſet, in quibus major juris peritia elucet, quam hodie ſenioribus vix conſequi licet. Sed ut fabula illa penitus expellatur, ætatem, quæſo, Severi Imperatoris conſideremus; quocum noſter *Scævolæ ſcholas frequentavit*, cui etiam in *Advocatione fiſci ſucceſſit*, per omnia fere, quod ad tempus & ætatem, æqualis. Natus eſt Severus, tempore Antonini Pii, Sexto Erucio Claro & Claudio Severo Conſulibus, qui annus ab Urbe condita eſt 898. à Chriſto nato 146. Sub Marco dein annos octodecim habens ex Africa Romam ſtudiorum cauſſa venit, & poſt multos dubiosque eventus, ab eo patrocinium Fiſci, auſpicium honorum, accepit, ut recte Victor: male Spartianus in Geta c. II. ab Antonino Pio ex formulario forenſi ad fiſci advocationem delectum ſcribit, quod per ætatem & locum fieri non potuit. Imperium capeſſit annos natus quadraginta ſeptem: mortuus in Britannia A. V. C. 963. cum vixiſſet annos LXV. menſes IX. dies XXII. Rurſusque

nugatur Spartianus, cum ei in Pescennio Nigro cap. V. annos octoginta novem assignat. Nunc instituta comparatione paret, Papinianum similiter regnante Pio Romæ natum; vel, quod magis credo, Emisa juvenem in Urbem delatum esse, oportere: nam in Pii nummis est ΕΜΙCΗΝΩΝ *Emisenorum*. A Marco dein primum dignitatis gradum meruit, successor Severi factus, quem tamen majorum claritudine nobilissimum, ideoque citius promotum, ætate superasse videtur. Marcum in beneficii memoriam fortassis tam honorifice, *Principem providentissimum & juris religiosissimum* appellat, in *l. 67. §. fin. D. de Legatis lib.* 2. Obiit septuagenarius, certe sexagenario major, quemadmodum capite ultimo dicemus.

§. II. Floruit ergo sub Marco, sed maxime tempore Severi & filiorum, à quibus ad summos honores evectus, jam ingruente senio, quæ scripsit, edidisse videtur. Hinc Antoninum Pium ubivis *Divum* vocat, in *l.* 86. *D. de Acquirenda vel omittenda hereditate* & Marcum *l.* 8. *D. de Pactis* & Commodum *l.* 26. *D. de Probationibus*. Severum autem, sibi amicissimum & æqualem, suum appellat: *Imperator noster Severus* l. 6. D. de Usuris. *Optimus Imperator noster Severus* l. 67. §. 9. D. de Legatis lib.

2. *Opti-*

2. *Optimus Maximusque Princeps Noster Severus Augustus* l. 78. §. 1. Titulo eodem & l. 8. pr. D. de Vacatione & excusatione munerum. Cumque Severus anno imperii sexto filium Bassianum, post etiam, Septimium Getam Imperatores appellasset, hi Duumviri, & Triumviri, *Optimi Principes nostri*, in l. 22. D. de Accusationibus, & *Optimi Maximique Principes nostri*, in l. 30. D. de Excusationibus, l. 16. §. 1. de His quibus ut indignis, ab eo nominantur. Plerique alii duos fortassis Principes hic tantum comprehensos velint, patrem & filium natu majorem, qui DVO AVGG. apud Fabrettum pag. 130. non minorem, quod NOBILISSIMVS CAES II. COS in Gruteriana XLV. 13. vocatur. Nec aliter Jurisconsulti posteriores explicare solent: *Divi Severus & Antoninus rescripserunt*: vel *Imperator Antoninus cum Divo Patre*: aut *Imperator noster cum Patre.* Quinimo Severus nunquam Imperii consortem fecit Getam, si audimus Jacobum Gutherium lib I. de officiis Domus Augustæ cap. 42. ubi ex fastis consularibus, nummis & Herodiano id evincere conatur. At Panvinius in Fastis, Scaliger in Eusebium n. 2215. Casaubonus ad Spartiani Severum c. XVI. & Baronius ad annum Christi 197.

tot testimoniis sententiam suam adstruxerunt, ut ab ea temere discedendum non putem. Getæ quidem Imperatoris Ulpianus & Paullus non meminere; sed quia imperium ejus brevissimum fuit, jam vigesimo tertio ætatis anno occisi. Sibi etiam soli omnia vindicavit Caracalla; ut ex constitutionibus, Gentiano & Basso consulibus, quibus Geta omnino Augustus erat, patescit. Vide *l.* 1. *C. de Transactionibus. l.* 2. *C. de Dolo malo.* Adhæc vivo Antonino nullus forte ausus est Getam nominare, ne facti nefarii memoria Tyranno refricaretur. Et quis denique non videt, contortam nimis esse Gutherii explicationem verborum Tertulliani, cap. II. de Pallio: *Quantum reformavit Orbis sæculum istud? quantum urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præsentis Imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente?* cum Albinum, Nigrum & Julianum triplici virtute Severi profligatos, omnemque imperii potestatem in unum collatam interpretatur? Ipsa enim phrasis hunc sensum refutat, nec victis & superatis Deus favebat, sed duobus fratribus Augustis, cum patre una regnantibus. Hinc tres figuræ sacrificantes, Severi & filiorum, in nummo apud Occonem, & inscriptio columnæ milliaris apud Gruterum pag. CLVII. 2.

IMP.

IMP. CAES. LVCIVS. SEPT.
SEVERVS. PIVS. PERTIN
PONTIF. MAX. TRIB. POT
IX. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARC. AVREL. ANTONIN.
PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP.
P. SEPTIM. GETA. ANTON.
VIAS. ET. PONTES. REST.
AB. AVG. M. P. XXXI.

§. III. Antequam hinc diſcedamus, notandi ſunt fœdi quorundam circa Papiniani ætatem errores; non ut eos rideamus (magis enim commiſeratione digni) ſed ut juvenes noſtri ex ejusmòdi periculis diſcant, temporum notitiam ſibi mature comparandam eſſe, ſi in veterum fragmentis cum laude verſari, nec piſcis aut edulii peregrini vocabula, illorum nomina arbitrari velint. Et ecce! Udalricus Zaſius, vir ſtudio ac doctrina inſignis, in Commentario ſuper Infortiato de Legatis, mira fiducia, *Mediam Jurisprudentiam* ex ævo Papiniani, nos inchoare jubet. Adſcribam ejus verba ex Tom. II. pag. 126. *Deinde poſt tempora Trajani ſucceſſit fetura Juriſconſultorum, Papiniani, Paulli, Ulpiani. Iſta eſt Media Jurisprudentia, quæ duravit usque ad*



ad tempora Justiniani; vel verius, usque ad tempora, quo infelix barbaries omnia obduxit. A Justiniano usque nunc, nominamus novissimam jurisprudentiam. Et ista sunt vobis notanda, quia non sic à Doctoribus traduntur. Immo, Zasi, nec salva fide juridica id tradere poterant, ipseque falleris maxime, cum temporis illius spatio, quod inter Papinianum & Justinianum est, mediam jurisprudentiam metiris; & ultimam potius dixisses, quam ad Gothorum & Longobardorum invasiones profers inepte. Media jurisprudentia est, quæ anno circiter trecentesimo quinquagesimo post latas leges Decemvirales prodiit, & ad occupatam ab Augusto rempublicam duravit: *quæ quidem lege duodecim tabularum junior erat, imperiali autem dispositione anterior*, ipse definit Imperator in §. 3. *Inst. de Legitima agnatorum successione.* Rutilii, Scævolæ, Tuberones, Galli, Sulpitii, Alfeni, Trebatii ad hanc pertinent, non Papinianus, Paullus & Ulpianus. Verum non unus Zasius in luto hoc hæret, nec Scævola ille Germanicus veram Æmilii ætatem ignoravit. Bartolus igitur & Castrensis potius in hanc scænam prodeant, quorum elegantiæ vix derisum effugere possunt. Quo enim vexatissimam Constitutionem Diocletiani, in *l.* 8. *C. de Impu-*

Impuberum & aliis substitutionibus, cum Papiniani Responso, in *l.* 15. *D. de Vulgari & pupillari substitutione* conciliarent, ille Papinianum legisse Diocletiani legem existimavit; cum tamen ante eam latam nonaginta annis occisus esset: hic vero Papinianum Augusti tempore vixisse & à M. Antonio jugulatum affirmat; id est fere ducentis ante annis, quam esset natus. Non hic cumulabo convitia à Budæo & Duareno in Bartolum passim congesta: nec cum Goveano *pessimum juris* magistrum, neque cum Cujacio δικαιομάστιγα illum vocabo, cujus se vestigia adorare magnus olim Jason dixit, quique in omnibus hodie tribunalibus dominatur. Non hominis ea vitia, sed ætatis fuere, Cimmeriis velut barbariei tenebris immersæ. Nec felicior fuit Accursius, qui omnibus Græcis & Latinis interpretibus à Cujacio prælatus, cum ad *l.* 5. *D. de Feriis*, Ulpiani tempore Christum nondum venisse in virginem, & ad *Novellam* 47. *c.* 1. Justinianum ideo, quod vixerit ante Christum natum, æra Christiana usum non esse, putavit. Ejusdem farinæ est, quod ceteri post Bartolum tractant ad *l.* 1. *D. de Operis novi nunciatione* Ulpianum trecentis ante Christum natum annis vixisse. Sed horum talium jam satis est.

CAPUT

CAPUT IV.

PAPINIANI PERITIA LINGUÆ GRÆCÆ.

§. I. *Papinianus trilinguis.* II. *Primus jura Romana tractavit Graece, quod difficillimum.* III. *De officio Ædilium municipalium Graece scripsit, quia lingua Graecanica ei homini Syro erat familiaris, eademque in multis municipiis magis usitata.* IV. *Homeri auctoritas, cur apud eum aliosque Jurisconsultos tanta. Fermati & Bertrandi negligentia indicata.* V. *Demosthenis etiam perquam fuit studiosus: in cujus versione à Mureti censura defensus.* VI. *Graeca ejus varia & Graecismi.*

§. I.

DE pueritia Papiniani nihil constat, nisi quod cecidit in felicia ista tempora, quibus Marcus Antoninus, Princeps supra omnes, studiis litterarum excellebat. Statim ergo in sinu & gremio matris vere Eugeniæ educatus, cum studia extra limen proferenda essent, sanctissimis praeceptoribus traditus videtur, qui prima linguarum elementa docerent. Si Emisae natum statuimus, quod nec affirmare nec inficiari velim, trilinguis fuit: verna-

vernaculus sermo Phœnicius, Græcus & Latinus ex institutione. Phœnicium Hebræo valde affinem fuisse, ex Josephi libro I. contra Appionem constat, ubi γλώσσαν Φοίνισσων vocat Hebræam, & pluribus contra Fullerum id demonstravit Samuel Bochartus lib. II. Geographiæ sacræ cap. 1. Hinc non mirum Judaica dicendi genera in Pandectis reperiri, quæ diligenter collegit Antonius Augustinus lib. IV. Emendationum cap. 8. Ipsi enim Jureconsulti Papinianus, Ulpianus, Modestinus SemiJudæi fuere. Sed Græcæ & Latinæ linguæ cultus jam tum etiam apud Phœnices, etsi non faciles cedere linguis, quas præ suis parum cultas putabant. Tradit Lampridius, Alexandrum Severum Litteratores, Grammaticos, Rhetores, Græcos & Latinos in patria habuisse: Emisa etiam quantum studiorum nomine celebrata, ex deperdito Dionysii loco, nos docet Festus Avienus à versu 1085.

- - - Emesæ fastigia celsa renident
Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
Turribus in cœlum nitentibus, incola claris
Cor STUDIIS acuit.

§. II. Quo magis autem Papiniani singularem Græcæ linguæ peritiam considero, eo certior evado, Syrum fuisse. Non me fugit

fugit Romanos quoque sermonem hunc à prima infantia didicisse, ut nos Latinum; pueros Romæ Græce nugatos; adultiores Græce prius, quam Latine declamasse. Ipsi Principes, sub quibus vixit noster, hujus linguæ fuerunt peritissimi: Marcus libros de vita sua Græce perscripsit: Severus Athenas propter has litteras petiit, ejusque filius Antoninus quinque Euripidis versiculos aliquando recitavit. Veteres etiam Prudentes, quando Homeri, Solonis, Hippocratis, Platonis, Aristotelis, auctoritate utuntur, satis, fateor, ostendunt, se hujus linguæ non fuisse imperitos. At da mihi unum, è centum & ultra, qui ante hoc ævum vixerant, Jureconsultis, qui integrum librum Græce confecerit, ut Ἀστυνομικὸν suum Papinianus? cujus fragmentum sub titulo Digestorum *De via publica & si quid in ea factum esse dicetur* nobis à Triboniano servatum in lucro ponimus. Jam ante quidem Mucius Ὅρων, Labeo Pithanôn, Pomponius Enchiridii libros vulgarant: sed qui, præter inscriptionem, Græci sermonis parum, aut nihil complectebantur. Ipse Papiniani præceptor, Cervidius Scævola præ ceteris in hoc genere doctus, ad species tamen Græce sibi propositas, Latine ubivis respondet. Vide *l.* 60. §. 4. *D. Mandati. l.* 47. *D.*

47. *D. de Administratione & periculo tutorum. l.* 88. §. 15. *D. de Legatis lib.* 2. Vin' caussam? Artis vocabula in foro Romano recepta, nec ipsis etiam Latinis satis intellecta, ut, suus heres, curator, ruta cæsa, legatarius, donatarius, vix in Græcum sermonem converti poterant: ut ab auctoribus librorum Basilicῶn, Theophilo & Harmenopulo discimus, qui patrii sermonis bene gnari, multas tamen ejusmodi voces in translationibus suis retinere debuerunt. Aperte Modestinus, cum libros de tutelæ & curæ Excusationibus, Papiniani exemplo, Græce ederet, ad Ignatium Dextrum in *l.* 1. *D. de Excusationibus* scribit: *se non ignorare, quam difficulter jura Romana Græca convertantur.* Cui respondet, quod Gregorius Thaumaturgus in Oratione Panegyrica ad Origenem pag. 171. ingenue fatetur, verba legum Romanarum sibi præclara & magnifica quidem, sed inexplicabilia videri.

§. III. Quid autem, dicat forte aliquis, causæ est, quamobrem Papinianus Græce scripsit? cum apud omnes fere Gentes tum temporis non disciplinæ tantum, sed linguæ etiam Latinæ notitia esset, nec Majestati Imperii Romani conveniret, quæ ad jus pertinent, Græce proferre. Præsides pro-

provinciarum juxta, ac Prætores Romani, non niſi Latine decreta interponebant, & quicquid publice geſtum elatum ea lingua, *non in Urbe tantum, ſed etiam in Græcia & Aſia. Quo ſcilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur*, ait Valerius lib. II. cap. 2. Non hic leporem & elegantiam linguæ Græcæ cauſſabor, hæc enim & ceteros capere poterat: ſed prima forte inſtituti ejus ratio fuit, quod Papinianus Syrus erat, Syri autem Grajorum facundiam, mores & vitam adſciverant, ex quo Macedones regno illorum præfuere: immo, ſi famæ credere libet, Phœnicum gens litteras Græcas prima aut docuit, aut didicit. Curtius lib. IV. cap. 2. & 4. Inde Judæi majorem Syriæ partem, in qua & Phœnicia, Græciam vocabant, ut Druſius in lib. I. Haſamonæorum cap. 1. oſtendit. Hinc quoque mulier, quæ Divo Matthæo γυνὴ Χαναναία, eadem beato Marco γυνὴ Ἑλληνὶς, Συροφοίνισσα τῷ γένει, *mulier Græca, genere Syrophœniſſa* appellatur. cap. VII. comm. 26. Sic Juvenalis ſupra pag. 6. Urbem Syris repletam, *Græcam urbem* vocavit, & Virgilius in Copam:

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella.

Dein Papinianus hoc libro Ædilium, non Romanorum, ſed municipalium officia expoſuit:

posuit: municipia autem per omnes provincias sparsa, Græcas quandoque magis, quam Latinas litteras callebant. Quapropter Hadrianus ad magistratus municipales Græce rescripsit, in *l.* 48. *D. de Judiciis.* Judices ex Arcadii & Honorii permissu, tam Græco quam Latino sermone, sententias ferre poterant, *l.* 12. *C. de Sententiis & interlocutionibus.* & Justinianus Constitutionem de jure patronatus, ideo Græca lingua edidit, ut omnibus innotesceret, *pro omnium notione*, recte apud Theophilum est, in §. 2. *Inst. de Successione libertorum.* Ex eadem ratione, jam dudum Spiritus S. Evangelium Græce expositum voluerat: maximam enim orbis partem hæ litteræ occuparant, & in ipsa Judæa Hellenistæ Græce tantum Biblia sacra legebant. Juvenalis item de suo, id est, Domitiani ævo, Sat. XV. ℣. 110.

Nunc totus Grajas habet orbis Athenas.

Hoc ipsum porro tot inscriptiones Græcæ & Latinæ, tot nummi bilingues in uno solo cusi, tot Scævolæ & Modestini responsa testantur. Quid? quod ipsius Italiæ pars, quæ in Græciam Siciliamque vergit, multis civitatibus ex Græcia profectis oppleta fuit; quæ licet jam Varronis tempore civitate essent donatæ, Magistratus tamen suos, & quævis alia, Græcis nominibus de-

 signabant.

ſignabant. Ovidius lib. IV. Faſtorum ℣. 63.

Nec tibi ſit mirum, Grajo rem nomine dici,
Itala nam tellus Græcia major erat.

§. IV. Ne vero Papinianum tanta Græciæ facundia polluiſſe dubitemus, illud obſervari velim, duos eum quam maxime ſibi imitandos propoſuiſſe, Homerum & Demoſthenem, illum Poëtarum, hunc Oratorum Principem; atque ita ex Petronii, omnium elegantiarum Arbitri, præſcripto ſtudia ſua inſtituiſſe. Suadet ille:

- - - - *Det primos verſibus annos,*
Mæoniumque bibat felici pectore fontem:
Mox & Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

De Homero quicquid dixero minus erit. Tanta ejus Poëmatum apud omnes gentes fuit celebritas! Deum, non hominem, eorum credebant eſſe auctorem, parique honore quo nos ſacram ſcripturam, illæ ejus ſcripta proſequebantur. Et ſane Ilias & Odyſſea, ſive pacis bellique artes, ſive doctrinam de moribus, ſive eloquentiæ cultum ſpectes, ita præcellunt, ut pro locupletiſſimo univerſæ πολυμαθείας theſauro haberi debeant. Ab eo pueri in ſcholis ſtudia inchoabant, primum, quod maximum eſt,

eſt, addiſcentes, ait Plinius lib. II. Epiſt. 14. Singuli ejus quoque verſus, velut totidem oracula, conſilia, ratæque ſententiæ in publicis privatisque negotiis decidendis haberi ſolebant. Sic in controverſia Lacedæmoniorum & Meſſeniorum de jure templi Dianæ Limenetidis, vatum carmina, præcipue Homeri, ad teſtimonium vocata apud Tacitum lib. IV. Annalium cap. 43. Megarenſes item cum Athenienſibus de inſula Salaminia contendentes ambo Homericis verſibus jus ſuum proſequebantur, auctore Strabone lib. IX. & Quintiliano lib. V. cap. 11. cujus verba adſcribo: *Jam ſententiis quidem Poëtarum, non orationes modo ſunt refertæ, ſed libri etiam Philoſophorum: qui quanquam inferiora omnia præceptis ſuis & litteris credunt; repetere tamen auctoritatem à plurimis verſibus non faſtidierunt. Neque eſt ignobile exemplum, Megareos ab Athenienſibus, cum de Salamine contenderent, victos Homeri verſu.* Nec Rhetores tantum, Philoſophi & Grammatici, ſed Jurisconſulti in primis, ubi vel proverbialem locutionem adferunt, vel de vocis ſignificatu quæſtio eſt, aut ſicubi de formulis & conceptis verbis agunt, vel quando de vetere ritu controverſia incidit, Homero teſtimonium denunciant, tanquam doctrinarum omnium,

 &

& legum, & sapientiæ, ut Plinius vocat, parenti. Multis capitibus hoc ostendit Scipio Gentilis Parergorum lib. II. Sed & singularem dissertationem de Auctoritate Homeri apud Jurisconsultos scripsit Petrus Fermatus, Tholosanus: cujus tamen diligentiam fugit *l.* 9. *De Supellectile legata*, in qua Papinianus noster, ceterorum princeps, multiscii hujus Poëtæ auctoritate, ad illustrandum sæculi sui luxum, utitur. Quanquam enim non multum ad Jus Romanum, an Ithacæ Rex Ulysses lectum argenteum habuerit, an non: nec ætatis illius fastus à Trojanis temporibus repetendus esset; attamen ipsi satis erat, vel arrepta hac occasione, auctorem sibi tam carum & familiarem laudasse; id quod in scriptis deperditis sæpius factum videtur. Illud non præteribo, minus recte inspectam inscriptionem dictæ legis nonæ à Bertrando, quum ex ea probare volebat, Paullum Tyrium fuisse. Si quid huic argumento roboris inerat, provocasset potius ad *l.* 1. *D. de Contrahenda emtione*. Sed ego pro patria Papiniani tali non utar.

§. V. Præter Homerum, Demosthenis etiam in prorsa oratione studiosissimum fuisse Papinianum, haud obscure ex *l.* 1. *&* 2. *D. de Legibus* conjicere licet: quam enim

in

in libro primo Definitionum posuerat legis commendationem, mox ejus discipulus Martianus ex Demosthene desumtam, in principio suarum Institutionum ostendit. Verba Oratoris Græca, in antiquis editionibus olim desiderata, primus restituit Budæus, Vir summus, ex priore adversus Aristogitonem; probabili indicio, hanc genuinam semper habitam, quam & ipsum perorasse diserte scribit Plutarchus: at secundam adversus eundem falso Demostheni tribui, ex tumidis verbis & rustica compositione colligit Dionysius Halicarnassensis, in fine libri *De admiranda vi dicendi in Demosthene*, eamque ab aliis etiam rejici testatur Libanius in argumentis. Merito autem Demosthenem sibi sectandum delegit, ut qui omnes, quotquot sublime, excellens & novum dicendi genus habuerunt, perspicuitate, varietate, proportione, acrimonia, concitandis affectibus, demum etiam decoro, ita superavit, ut astra quodammodo attingere videretur. Vel solo *commemorato ejus nomine, maximæ eloquentiæ consummatio animo oboritur audientis*, inquit Valerius Maximus lib. VIII. cap. 7. Hoc amplius illud in ipso suspiciendum videbatur, quod juris omnis consultissimus, & civilis Attici peritissimus esset, semperque ad ejus fon-

tes, Naturam scilicet & consensionem Gentium ascendit; ut adjecta auctoritate divina, legislatores ab invidia, & leges à contemtu vindicaret: Quapropter & in dicta *l. 2. Legem* generaliter *Inventum ac munus Dei* vocavit. Ex hujus igitur prudentissimi inter Oratores Jureconsulti limpido flumine, Jurisprudentiæ Romanæ fundum irrigandum existimavit Papinianus, quemadmodum & antea Claudius Saturninus eum ad partes vocarat in *l. 16. §. 6. D. de Pœnis*, ubi *maximum apud Græcos Oratorem* appellat. Atque isthæc regia vere erat via, qua ad juris arcem eundum: Leges quippe Decemvirales ab Atheniensibus potissimum, & ut Symmachus ait, de Lare Solonis, petitæ erant; quæ tunc quoque, immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, tanquam fons omnis publici privatique juris, ex legibus moribusque Atticis erant interpretandæ. Ceterum eandem Νόμε oratoriam magis, quam dialecticam definitionem, Aphthonius etiam fere in extremo lib. προκαταγυμνάσματ. sequitur: & quicquid cavillentur alii, non melior est Ateji Capitonis apud Gellium lib. X. Noctium Atticarum cap. 20. Injuria etiam notat hic Papinianum Muretus, quod verba Demosthenis τῶν ἑκεσίων καὶ ἀκεσίων αμαρτημάτων male verte-

verterit: *quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur*, cum è Græco ſit: *ſponte vel ab invitis:* Jam enim Bachovius ad primam partem Pandectarum, ex Ariſtotelis lib. III. ad Nicom. princ. docuit, τῶν ἀκουσίων duas ſpecies eſſe, quæ vel per vim, vel per ignorantiam fiunt: poſterior autem ſola hic uſu veniebat; quod à me per vim alterius meram fit, id nullam pœnam meretur, ideoque prudenter hoc omiſit Papinianus. Ne quis inſuper truncationem ejus partis, quæ ad rem maxime pertinere videbatur, Juriſconſulto objicere poſſit, jam ſatis cavit Ulricus Huberus in Eunomia Romana. Singula vero Papiniani verba unus optime illuſtravit Gerardus Noodt, nomen omni meo encomio majus, in Commentario ad Pandectas lib. I. tit. 3. quem vide.

§. VI. Nos enim ad reliqua Græca progredimur, allaturi quæ paſſim ex lectione Pandectarum in præſens ſuccurrunt. Si minor eorum eſſet copia, huc ſatis commode trahi poſſet Severi & Antonini elegantiſſima & plena bonæ frugis Epiſtola, qua Provinciarum Rectoribus, xeniis capiendis modus ponitur, in *l. 6. §. fin. D. de Officio Proconſulis.* Imperatores ibi, ex ore vel ſtilo Papiniani ſui, in hæc verba reſcribunt: *Quantum ad xenia pertinet, audi quid*

 ſenti-

ſentimus. Vetus proverbium eſt: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων: id eſt: *Neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt, à nemine accipere, ſed paſſim vililiſſimum, & omnia avariſſimum.* Sed magis huc pertinet, quod ipſe dictiones Latinas ſæpe per Græcas, & contra Græcas per Latinas ſubinde interpretatur: verbi gratia, in l. 2. §. 1. D. de Inſtructo & inſtrumento legato, *Dotes,* inquit, *prædiorum, quæ Græco vocabulo* ἐνθῆκαι *appellantur.* Rurſus in l. 6. §. 1. D. Ad Legem Juliam de adulteriis coërcendis: *Lex ſtuprum & adulterium promiſcue &* καταχρηστικώτερον, *appellat. Stuprum vero Græci* φθοράν *appellant.* Sic quod Ulpianus & alii Eremodicium, ἀπὸ τῆς ἐρήμου δίκης, vocant, ille *deſertam litem* appellavit in *l.* 31. §. 2. *D. de Negotiis geſtis.* Tot etiam Græca dicendi genera, ex aſſiduo hujus ſermonis cultu, ei adhæſere, ut mirari ſubeat, Antonium Auguſtinum lib. II. Emendationum cap. I. ubi ea de re ex profeſſo, eorum duo tantum annotaſſe: unum in l. 18. §. 1. D. de Periculo & commodo rei venditæ: *niſi fidejuſſores idonei à venditore ejus evictionis,* ſcilicet gratia, *offerantur.* Alterum in l. 118. §. pen. D. de Verborum obligationibus: *In propoſito enim diem non differendæ*

actionis

actionis incertum videri. Eadem vero constructione scribit in l. 77. §. 5. D. de Legatis lib. 2. *Emtorem fideicommissi*, nempe nomine, *non teneri constabat*. Rursus in l. 9. D. de Suppellectile legata: *Cum & Ulixem ex auro & argento lectum viventis arboris truncis ædificatum ornasse*, ἑλληνικῶς, pro ornasse tradatur. Sic *præsenti*, pro præsenti die in l. 74. D. de Legatis lib. 2. Item *comperto matrem suam intestato decessisse*, id est cum comperisset in l. 86. §. ult. de Acquirenda vel omittenda hereditate. Prorsus Atticum & priscum præterea ejus loquendi genus indicavit Cujacius ad lib. XIX. Responsorum in l. 23. §. f. D. de Appellationibus. Sed & genuinum ἑλληνισμὸν sapit, *in peculium habere* l. 16. D. de Castrensi peculio: *In potestatem habere*, Titulo IX. Collationis Legum Mosaicarum: *Deprehenditur in hereditatem*, l. 101. §. 2. D. de Stipulatione servorum: *Proclamare in ingenuitate*, l. 4. D. Si ingenuus esse dicatur. Quanquam, ut verum fatear, non adeo necesse videtur, ad Græcismum hic convolare, cum & Plautus, Cicero, Virgilius, Horatius, Ovidius & alii verborum Latinorum elegantissimi, certa & proba ratione communem illam præpositionem, vel cum accusandi, vel cum auferendi casu junxerint.

rint. Qua de re videndi Gellius lib. I. cap. 7. Servius ad Virgilii Æneidos lib. I. verſ. 176. Joh. Fredericus Gronovius ad Livii lib. II. cap. 14. Voſſius Artis Grammaticæ lib. VII. cap. 65. Giphanius Conlectan. in Lucretium: Et quis non de hac anomalia aliquid notavit? Quam vellem autem juris civilis ſtudioſi ex his exemplis tandem diſcerent, neceſſarias ſibi eſſe litteras Græcas, ad ea, quæ in manibus habent, recte intelligenda. De Accurſio fabula eſt, quoties ad Homeri verſus pervenit, dixiſſe: *Græca ſunt non leguntur*. Ante Alciatum quoque omnes barbari interpretes pro Græco nomine ἀντίχρησις, in l. 11. D. de Pignoribus, *antiphona* legerunt: ſed & adeo Vetus Græcos nunc ſervat ciſta libellos, uti ex Flacco monendi ſint noſtri:

- - - - *Vos exemplaria Græca*
Nocturna verſate manu, verſate diurna!

CAPUT V.
PAPINIANI PERITIA SERMONIS LATINI.

§. I. *Papinianus vixit ſæculo æneo, cujus omnes ſcriptores facundia ſuperavit.* II. *Vere Æmilius & Diſertiſſimus. JCti &*

& Impp. verba ejus libenter sua faciunt. III. Injuria reprehensus à Ruffardo, quod nimis anxie verborum proprietates sectatus. IV. In stupri & adulterii differentia à Vallæ, Budæi & Hotmani criminationibus vindicatus, ad l. 6. §. 1. D. ad Legem Juliam de adulteriis. V. Ejus proprietas & puritas. Jurgium pro rixa amantium curatius, quam Ulpiani frivusculum. Lubricum tutelæ quid in l. 3. §. 3. D. de Usuris. VI. Recte rem dixit pro lite. Descriptio testamenti, postliminii. Alia.

§. I.

SCribit Galenus, miraculi loco Græcis fuisse, unum hominem duarum linguarum peritum: à Syllanis autem temporibus, Romæ id adeo frequens, ut in multorum laude ponatur, quod Græce atque Latine eruditissime fuerint imbuti. Ovidius lib. II. de Arte amandi ℣. 121.

Nec levis, ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, & linguas edidicisse duas.

Illud vero summa admiratione dignum est, Papinianum, hominem peregrinum, & Syrum quidem, in utraque lingua, emendate & apte, illo scripsisse ævo, quo omnis pæne Latii gloria collapsa erat. Jam ab obitu

Trajani defecerat priſtinus nitor, & argentea ætate in æneam tum converſa, nullus non figuras loquebatur, atque inanibus ſonis ludibria excitabat. Gellius & Apulejus ſub Antonino Principe, tunc cum Papinianus naſcebatur, clariſſimi, maximo ſtudio & ærumnabili labore, Latinam linguam excoluerunt; at quam duri, horridi, & ſæpe ſordidi nihilominus in ea ſint, nemo eruditorum neſcit. Severi & Caracallæ principatu Tertullianus in omni eruditione eminebat, incomtus tamen, pinguis & obſcurus. Serenus Sammonicus inter ſæculi ejusdem doctiſſimos, idem qui à Caracalla interemptus periit, carmine ſatis humili medica ſua præcepta deſcripſit. Hyginum, circa eadem fere tempora florentem, plebejum ſcriptorem, vocat Schioppius: Solino ſui ſunt idiotiſmi, à mediocriter antiquis etiam alieni: & nullum hac ætate invenies ſcriptorem, qui operoſa ſua diligentia vel è longinquo ad Veterum acceſſerit majeſtatem. Soli ſoli Juriſconſulti verborum religionem & proprietatem ubivis adhuc ſervabant, quia tractatio priſcarum legum & librorum eos in puriore litteratura continebat. Et tamen æqualibus ſuis omnibus palmam præripuit Papinianus; cujus in tota oratione tanta eſt puritas & non affectata quæ-

quædam venustas, uti auream prope ætatem restauraverit: tantum acumen, ut quicquid addideris, mutaveris, aut detraxeris reddas deterius: tanta gravitas, ut non tam interpretem quam legum latorem agere putes: tantus denique candor, ut demtis vel confusis legum inscriptionibus, ejus capita propriis notis facile dignosci posse videantur.

§. II. Quod igitur scite magis, quam vere, Plutarchus in vita Paulli Æmilii refert, Pythagoræ filio Mamerco Æmilii cognomen δι' αἱμυλίαν λόγου καὶ χάριν, *propter dicendi leporem & suavitatem*, hæsisse: id de nostro Æmilio prædicari potest: qui non scribendi tantum laude claruit; sed & fando doctissimus, extra ordinem à Caracalla parricidia sollicitatus, uti orationem componeret, vel haberet, qua facinus nefarium dilueretur, teste Spartiano cap. VIII. Atque hoc est, quare Jurisconsulti atque Imperatores verba ejus libenter sua faciunt, etiam nomine non laudato, quia totidem velut Oracula & apophthegmata apud omnes nota habebantur. Ulpianus *legem* 186. *de V. S.* ex lib. XIX. Quæstionum in *l.* 24. *D. Depositi* est mutuatus. Marcianus ipsa verba *l.* 18. *pr. D. de Conditionibus institutionum* ex lib. VII. Responsorum in *l.* 77.

D. de

D. de Conditionibus & demonstrationibus hausit. Paullus lib. IV. sententiarum tit. 5. §. 8. eandem decidendi rationem elegantissimam assignat, quæ Papiniano tribuitur in *l.* 35. §. 1. *C. de Inofficioso testamento.* Diocletianus & Maximianus compositam gnomam in *l.* 17. *C. Mandati* ex illius *l.* 56. §. 3. *D. eodem* petierunt, & in *l.* 20. *C. de Negotiis gestis* nitidissimam ejusdem sententiam ex *l.* 39. §. 2. *D. de Administratione & periculo tutorum* usurpant. Inprimis autem Zeno & Justinianus Papiniani formulas amarunt, ut ex collatione *l.* 51. §. 4. *D. de Fidejussoribus*, cum *l. ult. C. de In integrum restitutionibus : L.* 7. *D. de Fidejussoribus tutorum*, cum *l. ult. C. de Constituta pecunia : L.* 77. §. 12. *D. de Legatis lib.* 2. cum §. 34. *Instit. de Legatis* cuivis obvium est. Quid multa? Ipse Imperator eum *VIRUM DISERTISSIMUM* appellavit, in *l. ult. C. de Institutionibus & substitutionibus.*

§. III. Atque hæc ita ad demonstrandam Papiniani Latinitatem dicta sufficerent: nisi morum perversitas postularet, uti adversus quorundam calumnias eum protegamus, & quam laudabilis atque necessaria circa sermonis Latini puritatem & proprietatem ejus fuerit curiositas, plenius enarremus. Neque enim illa tantum consuetudo invaluit, ut

ut parentes ad vota properantes liberos scholis, quæ ad humanitatem ducunt, inepti lucelli causa subtrahant; sed & ipsi superiorum, ut vocant, facultatum magistri, hisce doctrinis non imbuti, vel leviter tantum adspersi, eas, ceu infra pecuniam positas, contemnant; quæ tamen omnis solidæ eruditionis præsidia sunt & munimenta. His igitur miserrimis noctuis, & ignorantiæ patronis, nostrum opponimus, quem ad Grammaticorum ferulas descendere non puduit, cum universæ ἐγκυκλοπαιδείας latifundia jam peragrasset. Non satis quidem magnifice hac de re sensisse videtur Ludovicus Russardus ad indicem veterum Jurisconsultorum, ubi *Papinianus*, inquit, *homo acutissimus est, & ad superstitionem etiam nonnunquam ingeniosus fertur. Verum, exceptis verborum proprietatibus, in quibus anxie satis versatur, ad cetera sic æquitatis studiosus est, ut nemo magis.* Quemadmodum vero non ideo minor Orator est Tullius, quod idem artis hujus diligentissimus fertur; nec vim Cæsaris fregerunt editi de Analogia libri: sic nec minor Jurisconsultus ideo est Papinianus, quod maximus simul & severus Grammaticæ exactor habetur. Minus ferendos esse, jam olim dixit Quintilianus, qui hanc artem, ut tenuem ac

ac jejunam, cavillantur; quæ nisi futuro Oratori & Jurisconsulto, fundamenta fideliter jecerit, quicquid superstruxeris, corruet. Summus enim in legibus, in testamentis, in stipulationibus, in reliquis rebus, quæ in scripto agebantur, recte interpretandis ab his circa verba requirebatur labos: ut ne dicam, animi sensa commode eloqui non posse, nec ad posteros transmittere, nisi rustice & inquinate, hominis esse otio & litteris intemperanter abutentis. Servius Sulpicius, juris antistes, idcirco M. Varronem tam diligenter per litteras interrogavit, quid verbum *favissæ* in jure Censorio significaret: Ælius Gallus de verbis ad jus pertinentibus scripsit: & Labeo Antistius, qui juris quoque civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publice responsitavit, referente Gellio: *ceterarum etiam bonarum artium non expers fuit: & in grammaticam sese, atque dialecticam, litterasque antiquiores altioresque penetraverat: Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat: eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur*. lib. X. Noctium Atticarum cap. 10. Quæ igitur dementia est, in nostro id arguere velle, quod optimis quibusque laudi datum! quin ne satis quidem anxium nonnullis

nullis videri, ex iis, quæ jam dicemus, apparebit.

§. IV. Quam enim Papinianus in *l. 6. §. 1. D. ad Legem Juliam de adulteriis*, stupri & adulterii descriptionem vel differentiam adfert, Laurentius Valla lib. VI. Elegantiarum cap. 45. approbat quidem: sed tamen addit, legem Juliam recte hæc duo promiscue appellasse: tacite sugillans Jurisconsultum, quod *proprie* adulterium in nuptam, stuprum in virginem viduamve committi existimabat. Confidentius dein Gulielmus Budæus in Annotationibus posterioribus ad Pandectas, Papinianum *parum animadvertisse* scribit, optimos quosque Latinæ Linguæ auctores Plautum, Ciceronem, Sallustium, *stupri* vocem pro adulterio posuisse. Neuter horum viderat Florentinam dictæ *l. 6.* scripturam, in qua manifeste infit: *Legem* καταχρηστικώτερον *stuprum & adulterium promiscue appellare:* pro qua Græca voce, à barbaris Pandectarum descriptoribus omissa, Valla μοιχείαν, Budæus καὶ συμμιγῶς, alii φθορὰν, teste Alciato lib. II. Prætermissorum, ex conjectura legerunt. At nobis hodie dubium non est, Papinianum legem Juliam, abusive & improprie locutam, notasse: non equidem, ut Hotmanus ad §. 4. Inst. de Publicis judiciis

 mira-

mirabundus accepit, quasi & adulterii verbum extra conjugatos usurpatum esset: sed quod stupri nomine etiam adulterium comprehensum erat, id solum est, quod improprium vocat. Quid igitur? Cum non ex auctoribus tantum à Budæo prolatis, sed innumeris aliorum Livii, Horatii, Senecæ, Quintiliani locis abunde constet, veteres adulterium vulgo *stuprum*, & proprie, quemadmodum verisimile est, appellasse; an dicemus Papinianum, hominem Syrum, proprietatis Latini sermonis fuisse ignarum? an ad Philosophiam Stoicam hoc referemus, cujus imitator erat? Stoici enim in vocabulorum usu & proprietate, non ad minutias tantum, sed ad ineptias erant superstitiosi, conatuque parum felici, ex allusionibus suis, differentias usu non receptas sæpe colligebant. An denique manus violentas textui adhibebimus, & cum Alciato lib. I. Dispunctionum cap. 26. vocem *promiscue* ejiciemus? Apage! Nondum res nostræ sunt tam angustæ, ut huc confugere sit necesse; licet Papiniani partes, Modestino defenso, deserere videatur Vir Clarissimus, Carolus Andreas Dukerus, in eruditissimis suis Animadversionibus ad Opuscula varia de Latinitate Jurisconsultorum pag. 128. ubi Wissenbachii, Gentilis & Capelli re-

sponsiones

ſponſiones egregie refutat. Mihi vero omnia plana videntur, ſi dicamus, Papinianum ad uſum ſui temporis reſpexiſſe: quo non quælibet libido, ſed tantum commiſtio cum virgine, vidua, vel puero hoc nomine continebatur, *l.* 25. *D. de Injuriis. l.* 101. *D. de Verborum ſignificatione*, ubi Modeſtinus ait: *quidam putant*, nempe Papinianus & Grammatici, de quibus eadem voce Nonius Marcellus de proprietate ſermonum ſcribit, cap. XV. n. 44. *Stuprum quod cum viduis* (& virginibus) *committitur hoc ſolum dici putant: Veteres pro adulterio & vitio ponunt.* At vero illum, qui antiquas voces alibi affectat, fugere non poterat, *ſtuprum*, à *ſtupeo*, vel στύω dictum, apud veteres primum pro omni turpitudine corporis, famæ & dignitatis; dein Plauti & Auguſti temporibus pro adulterio ſumtum. Sed quemadmodum Græci vocem ſuam φθορὰν, æque generalem, proprie de puella devirginata dici voluerunt; ſic etiam, inquit, nos ad diſtinguenda crimina, nomen ſtupri, proprio ſignificatu, de innupta uſurpamus; ideoque lex Julia abuſive loquitur, ſi hodiernum loquendi uſum ſequaris,

Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

§. V. Nunc alia exempla videamus, de

quibus nulla eruditorum dubitatio intercedit. Cicero lib. IV. de Republica ubi, eodem Nonio cap. V. n. 34. auctore, non rerum tantum, sed & verborum delectum, elegantiam & proprietatem, in legibus XII. Tabularum admiratur, ad illam: SI JURGANT AFFINES, FINIBUS REGUNDIS PRÆTOR ARBITROS TRES ADDICITO, eleganter monet: *Jurgium* & *litem* hoc discrepare: quod jurgium, quasi *juris* concertatio, est inter benevolos, propinquos, sanguine vel prædiis conjunctos exorta. Lis vero est dissensio vehementior ex ira & odio inter inimicos exardescens. Eandem autem differentiam cum optimis quibusque scriptoribus Papinianus signanter observat, qui contentiones inter fratres & conjuges perpetuo jurgia appellat, in *l. ult. D. Familiæ erciscundæ*, *l.* 31. *D. de Jure dotium*, *l.* 27. *D. de Pactis dotalibus*. Sic in lapide apud Gruterum pag. 963. n. 2. Ireneus conjugi suæ Aureliæ Cattræ, QVAE VIXIT ANN. XXIIII. SINE. VLLO. IVRGIO. Et Juvenalis Satira III.

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet.

Minus eleganter Ulpianus brevem ejusmodi discessiunculam & frivolariam inter conjuges

juges rixam *fribusculum*, vel, ut alii legunt, *frivusculum*, *frigusculum* vocavit, in *l.* 32. §. 12. *D. de Donationibus inter virum & uxorem.* Amantium iras *frigora* dici eruditis pridem notatum est, inde frigusculum; verum alii non ita. Seneca dixit: *Divortio fœdiores male cohærentium rixas.* Puritatis Papinianeæ evidentissimam testem habemus *l.* 3. §. 3. *D. de Usuris*, in qua matrem fideicommissi remedium *lubrico tutelæ* prætulisse scribit. Deficit Latinis substantivum nomen à lubricus, quia *lubricitas* nullius auctoritatis est, igitur elegantissima necessitate usus; ut Ulpianus *juventæ lubricum:* Tacitus, *lubricum adolescentiæ:* Plinius *lubricum ætatis:* Lucretius *clausa domorum:* Virgilius *opaca viarum* dixerunt. Et certe lubricæ tutelæ sunt viæ, propter mille insidias, quibus expositi pupilli. Symmachus lib. VII. epist. 65. *Multiformis plerumque perfidia tutorum in varias se frequenter artes vertit.* Hinc *spoliatores pupilli*, dicuntur Juvenali Sat. I. ℣. 45. Notumque est illud avari tutoris votum apud Persium Sat. II. ℣. 12.

- - - *Pupillumve utinam, quem proximus heres.*
Impello, expungam! namque est scabiosus & acri
Bile tumet,

§. VI. Jam vero memoratu dignum est, quod Tullius suo tempore risit, formularios tam ingeniosos, tam multos, statuere non potuisse, rem an litem dici oporteret, quodque Varro lib. VI. de Lingua Latina testatur, in actionibus solennibus sub disjunctione dicendum: *Quam rem sive litem:* idem nec recentiores etiam Jurisconsultos ante Papinianum nostrum decidere ausos, qui solus quam in l. 6. D. de Dotis collatione, *litem inofficiosi* vocarat, apud Ulpianum in l. 8. §. 1. D. de Inofficioso testamento *rem inofficiosi* appellat. Optime! Nam, ut vulgatissimum Ausonii locum prætercam, parasitus Plautinus jam sua ætate in feriis vindemialibus, *res prolatas* dixit, Capt. I. Sc. 1.

Ubi res prolatæ sunt, cum homines rus eunt
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.

Hinc & dies quibus jus dicebatur, *Rerum actus* vocavit Plinius, & litigatores sive agant, sive conveniantur, rei nomine continentur, *l. 5. D. de Verborum Obligationibus.* Cicero: *Rei sunt omnes, quorum de re disceptatur*, lib. II. de Oratore. Ad hanc porro classem pertinet, quod in *l. 24. D. Depositi* commendare proprie nihil aliud esse, quam deponere, scribit: quod testamentum emphatice *secretum alienæ voluntatis*, in *l. 70. D. de Heredibus instituendis:* Testamentum paren-

parentum inter liberos *supremi judicii divisionem*, in *l.* 20. §. 3. *D. Familiæ erciscundæ:* Postliminium *suspensi juris constitutionem*, in *l.* 15. *de suis & legitimis heredibus* appellavit. Nec magis exserte distingui potest, quam in *l.* 42. §. 1. *D. de mortis causa Donationibus*, ubi eum, qui absolute donaret, *non tam mortis caussa, quam morientem, donare* pronunciat.

CAPUT VI.

EJUS ELEGANTIAE, BREVITATIS ET VETUSTATIS STUDIUM.

§. I. *An stili ejus elegantiam laudet Ulpianus. Pietas pro patria potestate. Potitus hostium pro capto.* II. *Exheredatio injuria erat & nota. Bonorum possessio contra lignum.* III. *Vetustas ædificiorum, ætas dicitur. L.* 58. *D. de Legatis lib.* 1. *illustrata. Cujacii, Bodini, Forsteri lapsus.* IV. *Figuratarum ejus locutionum exempla:* Πλοκὴ, ἀναφορὰ, ὑστερολογία, ἔλλειψις. *Russardi emendatio explosa.* V. *Ex stili brevitate tot ænigmata, quæ excusata.* VI. *Amat locutiones vetustiores; fini peculii, insuperhabere, alias.*

VII. *Quæ ejus rei causa. l.* 8. *D. de Vacat. mun. aliter, quam à Cujacio explicata.* VIII. *Ejus Orthographia antiqua, contra Salmasium aliosque.* IX. *Latine, non semper Grammatice scribit. Immemoria, sceleritas, alia plura. Ab Ittero discessum.*

§. I.

ELegantiam stili Papinianei ipse Ulpianus, multorum opinione, fors laudasse videatur in *l.* 4. §. 2. *D. de Lege commissoria* verbis: *Eleganter Papinianus lib. III. Responsorum scribit, statim atque &c.* Sed non judicio meo. Quoties enim Jurisconsulti nostri ita loquuntur: *eleganter* vel *belle, bellissime, scripsit, respondit, putat, quærit, tractat, definit*, non ad ornatum sermonis respiciunt, sed ad doctrinam & judicium; ut idem sit, quod *docte, perite admodum*, *σοφῶς.* Aliis igitur argumentis res conficienda erit; quæ & eo minus negotii nobis facessent, quo plures passim in ejus capitibus modi dicendi elegantiores, & figuræ extemporales occurrunt. Et primum quidem elegantissimum est, quod patriam potestatem, duram illam Romanorum, invisam & dominicæ fere similem, *κατ' ἐυφημισμὸν*, figuram, qua res odiosas verbis bonis edimus, *pietatem* appellavit, in *l. ult. D.* *Si*

Si à parente quis manumiſſus: neque enim parentum poteſtas in atrocitate, ſed *pietate*, id eſt omni officio, quod ſanguinis propinquitas exigit, conſiſtere debet, infit Marcianus, præceptorem ſecutus, in *l.* 5. *D. de Lege Pompeja de parricidiis.* Et *Pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit*, ipſe ſcribit in *l.* 22. *D. ad Legem Juliam de adulteriis.* Tertullianus coævus: *Gratius eſt*, inquit, *nomen pietatis quam poteſtatis: etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur*, in Apologetico cap. XXXIV. Inde PATRI PIENTISSIMO apud Gruterum 369. n. 5. & PATRI PIISSIMO pag. 575. n. 5. Per eandem blandiloquentiæ figuram *hoſtium potitus* dixit, pro eo, qui ab hoſtibus captus eſt, & in eorum manus pervenit, in *l.* 11. *D. de Captivis & poſtliminio reverſis.* Quod à clariſſimo illo Galliæ ſidere Budæo non intellectum, Alciatus, Auguſtinus, Turnebus multis exemplis docuere, quibus adde Statii illud lib. I. Thebaïdos: *Juvenes qui cæde potiti.*

§. II. Non minus venuſtum eſt, cum exheredationem filii *injuriam* appellat in *l.* 8. *pr. D. de Inofficioſo teſtamento.* Nam ut laus magna & honor heredem inſtitui, ſic exheredatio inter maculas & notas; *Non conſentiendum eſt*, ait Cajus, *parentibus, qui*

D 5 *IN-*

INJURIAM, *adversus liberos suos testamento inducunt: quod plerumque faciunt maligne circa sanguinem suum inferentes judicium, novercalibus delinimentis instigationibusve corrupti* in *l.* 4. *D. Titulo eodem*, & Tryphoninus in *l.* 22. *eodem: INDIGNATIO filii est, de cujus meritis agitur. NOTAM* passim vocant Jurisconsulti tum alii, tum Ulpianus *l.* 18. *D. de Liberis & postumis*, qui & contra in *l.* 3. §. 2. *D. de Legatis præstandis* institutionem HONOREM appellavit cum Cicerone, Tacito, Fabio & aliis, conductis apud Barnabam Brissonium lib. IV. Antiquitatum cap. 19. Cujus vestigia Joh. Fredericus Gronovius in notis ad Senecam de Tranquillitate animi cap. XI. & Sibrandus Tetardus Siccama de Centumvirali judicio lib. II. cap. 6. legerunt. Enimvero actus ille, quo jus filii, ut extranei & inimici abscindebatur non levem apud viros honestos inducebat suspicionem vitiorum fœdissimorum, quibus incensus parens animum induxerit, ut naturam ipsam vinceret, & amorem illum penitus ejiceret ex animo, & patrem esse sese oblivisceretur; *quod sine magnis peccatis accidere potuisse non arbitror*, ait Cicero pro Roscio cap. XIX. Expresse injuriam quoque vocat Valerius Maximus lib. VII. cap. 8. ubi de

Æbutiæ

Æbutiæ testamento pleno furoris agit, quod Afrania filia exheredata judicio convellere nolebat: *Eo se ipsa indigniorem INJURIA ostendens, quo eam æquiore animo sustinebat*. Ad Veneres porro Papinianeas pertinet, quando bonorum possessionem contra testamentum, in quacunque materia scriptum, *contra lignum* appellat in *l.* 19. *D. de Bonorum possessione contra tabulas*, ex vetere scilicet more in tabulis ligneis cera obductis scribendi: unde & plurium tabularum contextus *Caudex* apud antiquos, & Juvenali testamentum inofficiosum *codex sævus* appellatur Sat. X. ℣. 235. Plauti, Ovidii, Juvenalis testimoniis, quibus hanc *ligni* significationem ornat Cujacius lib. XI. Observationum cap. 14. accedat Apulejus in Apologia: *Porrige Æmiliano tabulas istas, lignum* (Lipsius & Colvius *linum*) *consideret, signa, quæ impressa sunt, cognoscat*. Et, qui prior nominandus fuerat, Propertius lib. III. Elegia 21.

Quis pro divitiis ligna retenta velit?

§. III. Venio ad *l.* 58. *D. de Legatis lib.* 1. ubi quid sit *ædificiorum ætates examinare*, valde disceptant interpretes. Quidam cum vulgata pro *ætatibus* legunt *quantitatibus:* alii ex Manuscriptis suis Codicibus præferunt *qualitatibus:* Forsterus lib. III. de Successionibus

ſionibus cap. 20. n. 24. *Statibus* mavult: Cujacius lib. VI. Obſervationum cap. 3. ætatem, ædificiorum quantitatem, amplitudinem & magnitudinem interpretatur. *Sed hac ratione*, inquit Johannes Bodinus lib. IV. de Republica cap. 2. *marmoreas ædes anguſtiſſimas vilius æſtimari oporteret, capacibus horreis luto ac maceria putri confectis.* Bodino iterum reſpondet Cujacius lib. XVIII. Obſ. 38. ubi eum per anagrammatiſmum *Andium ſine bono* vocat. Simplicius & concinnius eſt, ſi cum Briſſonio in voce *ætas*, & Fornerio lib. I. Selectionum cap. 2. *vetuſtatem* ædium intelligamus, ex qua arbitria parietum & ædificiorum deſumta fuiſſe Vitruvius docet lib. II. cap. 8. Neque etiam, quos ille ex copiæ ſuæ cornu indicavit, hic autem auctore non laudato exſcripſit, Urbicus & Macrobius tantum, ſed alii etiam hoc pacto locuti: Valentinianus in *l.* 15. *C. Th. de Operibus publicis*: Opera, *quæ victa ſenio fatiſcerent*, & ſtatim in *l. ſeq. Ornamenta urbium ac decora marmorum, quæ in aliquo ſenium temporis ſentiunt.* Item Arcadius & Honorius in l. 44. eodem: *Ædes ætatis ſenio concuſſas.* Caſſiodorus lib. I. Variarum 25. *Quorum fabricis dedimus longiſſimam juventutem, ut priſtina novitate reluceant, quæ jam fuerant veternoſa ſenectute fuſcata.*

fuscata. Et ne Papiniano posterioribus tantum niti videamur, Plinius lib. XXXV. Historiæ naturalis cap. 14. parietes formaceos *ævis durare* scribit; & lateritios *æternos* vocat, si ad perpendiculum fiant. Ovidius lib. I. Amorum Elegia 8.

Labitur occulte, fallitque volatilis ætas,
Ut celer admissis labitur amnis aquis.
Æra nitent usu: vestis bona quærit haberi:
Canescunt turpi tecta relicta situ.

§. IV. Hic quoque figuræ ejus jucundissimæ, à Cujacio partim in Commentariis jam animadversæ, non prætereundæ sunt: ne quis in posterum minus ab his litteris instructus, cum in ejusmodi loca inciderit, morbi vitiive rursus damnet, quæ sunt ad Ædilitium modium pura puta. Ecce enim, quam non sese deridendum præbuit ille, quem capite præcedenti nimium Papiniani verborum studium arrodentem explosimus, Vir Clarissimus, Ludovicus Russardus, ad *l.* 19. *D. Ex quibus causis majores*, in qua Papinianus duas unius vocabuli significationes miscens, ait: *Possessio sine possessione non consistit*. Id quod cum ille non caperet, *possessionem* mutat in *usucapionem*: *Alioquin*, inquit, *inepte & inconcinne videretur dixisse, possessionem sine possessione non consistere*. Quasi vero possessionis vox initio idem significet, quam

quam post. Initio est usucapio, sive dominii acquisitio per usum; post usus rei, sive detentio affectione sibi habendi. Et sensus patet: Usucapio sine usu rei non consistit. Similis πλοκὴ est in ejusdem *l.* 27. *D. de Contrahenda emtione*, ubi uterque & provocans & provocatus, emtor & venditor agere dicuntur: *Sed quo casu agente emtore non valet pactum, idem vires habebit jure exceptionis, agente venditore.* Vulgatum est illud Ulpiani in *l.* 14. §. 7. *D. de Ædilitio edicto: Mulier, quæ mulier fieri non potest.* Aliorum: *Num capti potuere capi? Doli non sunt doli, nisi astu colas. Bacchides non Bacchides.* De quibus Vossius lib. V. Institutionum Oratoriarum cap. 2. adeundus. Ad hanc porro classem pertinet, quod noster in *l.* 121. §. 1. *D. de Verborum obligationibus*, Nihil causæ esse respondit, *cur ex stipulatu, quæ ex bonis moribus concepta fuerat*, &c. Id est ex stipulatione: figura, quæ ἀναφορὰ vocatur, per quam elocutio non convenienter respondens, aliud refert occulte, ut apud Sallustium: *Sed antea item conjuravere pauci, in quibus Catilina, de qua,* (conjuratione) *quam brevissime potero, dicam.* Naturali etiam verborum ordine neglecto, ornatus gratia, aliquando Hysterologia utitur, quod primum dici oportuit,

secundo

ſecundo loco ponens. v. c. cum in *l.* 11. §. 12. *D. ad Legem Juliam de adulteriis: Tam juris, quam facti quæſtionem moveri*, reſpondit: pariter ac Bion apud Senecam, lib. I. de Tranquillitate animi cap. 8. dicit: *Non minus moleſtum eſſe calvis, quam comatis, pilos velli.* Plura exempla congeſſerunt Petrus Faber lib. I. Semeſtrium cap. 23. Fornerius ad l. 8. D. de Verborum ſignificatione. Nec obſcura denique Ellipſis eſt in *l.* 52. §. 1. *D. de Donationibus inter virum & uxorem.* verbis: *inter maritos*, id eſt inter conjuges, *nihil agitur*. Maritam pro uxore dicebant Veteres, & fœdus *maritum*, domus *maritas.* Similemque in modum parentes PATRES vocantur apud Gruterum pag. 656. 2. & 704. 1. Hæc autem & pauca alia, ſi revelata fronte agamus, laudanda magis, an excuſanda ſint, nunc non disquiro: Quintiliano ſane oratio, cui nil deeſt, optima videtur, & per me licet, inter dulcia iſthæc ponas vitia, quibus ipſi etiam, qui carpunt, capiuntur.

§. V. Ad ipſum Papiniani ſtilum quod attinet, neſcio utrum in eo prudentiam, an verborum majeſtatem magis admirari debeam. Quemadmodum enim huic viro fuit excellens & inexhauſtum ingenium, ſic & proprium dicendi genus inde, ut ſolet, forma-

formatum eſt, in quo nihil plebem ſapit aut vehementiam, ſemper ſibi ſimile, oratione pura & accincta. Cum Stoicis & Scævola ſuo brevitatem amat, atque à longioribus periodis omnique verborum minus utili abundantia abhorret; nec tamen minutiſſimis ſententiis rerum pondus frangit, aut florem fucumque quærit, plus nervorum ubivis, quam verborum oſtendens. Erunt, ſcio, qui Ulpiani facilitatem & copiam magis extollant; ſed, ut moneta illa optima, quæ plurimum habet in parva mole, ſic ſermo, qui ſenſus. Nonnunquam, fateor, ablativi abſoluti & enthymematicæ ſententiæ, quæ cum dicto rationem dicti ſimul includunt, eum reddunt obſcuriorem; ut cum donationem inter virum & uxorem, velut venali concordio factam, *moribus improbandam* ſcribit, in *l.* 27. *D. de Pactis dotalibus*, quæ moribus prohibita & improbata erat. Quin ipſe Juſtinianus modum à Papiniano in *l.* 54. *D. ad SCtum Trebellianum* præſcriptum, tanquam ænigmaticum & tenebris involutum damnat, in Novella CVIII. pr. §. 1. ubi hæc ejus ſunt verba: *Novimus igitur apud Papinianum ſapientiſſimum, dictum in decimo nono libro ejus Quæſtionum, ubi permittit alienationes in tali caſu: illud ſolum ex ſtudio IN ÆNIGMATE,*
ev

ἐν αἰνίγματι, proponens, ut tunc oporteret prohiberi alienationes, cum ad ſolvendum fideicommiſſum, ex ſtudio, qui hoc oneratus eſt, ad alienationem venit. Accurſius alibi *ænigma* ſpeculum interpretatur ad Novellam 97. At vero nos è Græcis, Cicerone, & Gellio ſcimus, involutam & perplexam finitionem, quæ ſphinge Thebana, vel numero Platonis obſcurior eſt, ænigma appellari. Quo ſenſu idem Imperator *Siglorum compendioſa ænigmata* prohibet, & nudum jus Quiritium *ab ænigmate nihil diſcrepare* ait, in *l. un. C. de Nudo jure Quiritium tollendo.* Plures aliæ Papiniani leges ſunt tales, ut Delio natatore opus eſſe videatur. Quis neſcit varias Doctorum explicationes & emendationes *legis* 57. *D. Mandati?* de qua ipſe Auguſtinus lib. I. Emendationum cap. 3. pronunciare non dubitat: *Ut verum fateamur, eo capite priora poſterioribus non cohærere videntur.* Quam non diſtrahit Cujacius ejus reſponſum in *l.* 16. §. 1. *D. de His quæ ut indignis*, ut inde efficiat, concubinatum vitrici cum privigna licitum eſſe, quod, ut temerarium & erroneum, merito damnarunt Merillius, Pancirollus, Faber, ſed qui ipſe lib. VI. Conjecturarum cap. 19. tamen fatetur: *Quis horum verborum ſenſus ſit, quidve ſibi Papinianus voluerit, non fa-*

cile dici posse. Quæ non portenta edunt interpretes, ut Papinianum in *l.* 66. §. 3. *D. de Legatis lib.* 2. cum Marcello in *l.* 72. §. 4. *D. de Solutionibus* in concordiam redigant? In illa Connanus & Brissonius, in hac Cujacius fulloniam exercent, Faber dissidium agnoscit: omnes, nisi nos nimio fallimur opere, præter necessitatem! Et quid non denique egit Arnoldus Vinnius in Selectis Quæstionibus, ut indebitum per errorem juris solutum condici posse ex *l.* 7. *&* 8. *D. de Juris & facti ignorantia* evinceret, in quibus similiter palmarium argumentum quærunt contrariæ sententiæ patroni. Otio abuteremur, si rei liquidæ plura adgereremus exempla. Quod si tamen altius ascendere lubet, quas non ineptias Accursii schola in difficillimis Papiniani legibus interpretandis, magno subinde conatu & stupenda diligentia, in illuni illa nocte commisit? Alciatus multis locis id docuit, præsertim lib. III. Paradoxorum cap. 1. in fine, cujus verba adscribemus. Sunt autem ista: *Et hoc modo, Papiniani illa lex VII. D. Soluto matrimonio exponenda est, quæ tot falsis interpretationibus intricata est, ut longissima glossemata, variosque sensus dum Accursius in eam descripsit, non alia de causa id egisse videri possit, quam ut multiloquium,*

tanquam

tanquam ſplenium quoddam, ſuis gerris obji-ceret. Niſi grave, audiamus & Cujacium in librum V. Reſponſorum Papiniani, ad l. 17. D. de Injuſto rupto, aliquid memoratu dignum enarrantem, quod diligentiſſimis etiam hodie ruborem injicere poſſit. ait enim: *Eſt ſingulare hoc reſponſum, meo tamen judicio, in id, cum vim ejus & poteſtatem non bene percipiunt interpretes, inani ſermone imprudentia utuntur; ſunt verboſi & prolixi more ſuo, ut ſolent in re facili eſſe multi, in difficili muti, in anguſta diffuſi. Cujus rei ego ſum optimus teſtis. In hoc autem reſponſo non inſumam, ut Joannes Imola, plusquam XXX. columnas, quas vocat majores.* Ejusdem vero Papinianeæ brevitatis optimi teſtis verba digna etiam ſunt, quæ hic legantur, ex Commentario ad lib. III. Reſponſorum, in l. 40. de Pignoratitia actione: *Exheredatio aufert jus & nomen heredis, & jus peculii, hoc, ut dixi, licet non dicat Papinianus, ut omnia bene conveniant, ponamus neceſſe eſt. Multa nobis Papinianus ſubintelligenda & ſubaudienda reliquit, & plus habet in receſſu, quam in fronte, ut eſt comprehenſione rerum brevis.* Brevis igitur eſt, ſed non inſcitia & infirmitate ingenii, verum judicio & delectu. Nec omnis difficultas à brevitate. Totus in eo fuit Pa-

 pinianus,

pinianus, ut *juris nodos & legum ænigmata*, ab aliis intacta undique conquireret, ad quæ subtili ratione, propter minimas circumstantias, à nobis non semper perceptas, aliter respondendum erat, quam quidem prima facie videatur; adeo ut recte hic reponi queat, quod Sex. Cæcilius Africanus olim Favorino regessit, de brevitate legum Decemviralium querenti: *Obscuritates non assignemus culpæ scribentium, sed inscitiæ non assequentium*, apud Gellium lib. XX. Noctium Atticarum cap. 1. Quid amplius? Ut in vultibus nostris, sic in stilo diversitas, nec statim deterius est, quod à Ciceronis copia recedit. Ipse Demosthenes Tullio non videbatur satis esse perfectus, & Tullius, Fabio auctore, obtrectatores habuit Calvum & Brutum, qui compositionem ipsius, ut inflatam nimis & tumentem, nec satis pressam & Atticam, reprehenderunt. Adhæc juris auctorem & conditorem se esse sciebat Papinianus, cujus Responsa, velut Oracula quædam esse deberent, verbis brevia, sed comprehensione rerum longa. *Non probo*, inquit Seneca, *quod Platonis legibus adjecta principia sunt. Legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi*

mihi frigidius, *nihil ineptius*, *quam lex cum prologo*. Epiſtola XCIV.

§. VI. At nondum, Papiniane, res tuæ ſecuræ ſunt. Quod enim de Tuberone narrat Pomponius: doctiſſimum quidem habitum eſſe juris publici & privati, plures utriusque operis libros reliquiſſe, ſermone vero antiquo ſcribere affectaſſe; & ideo parum libros ejus gratos habitos: idem vereor, ne & tibi objiciant naſutuli hodierni, facilem ſcribendi modum, & verba præſentia, fœda, barbara tantum requirentes. Ad Appium & Coruncanium hiſce Ariſtarchis aliquando redire, rudioremque illam linguæ ætatem affectare videberis, quaſi cum Egeria Numæ, aut cum Evandri Carmenta locutus. Plane inficias ire non auſimus, quod Cujacius annotavit lib. XXIV. Obſervationum cap. 23. ex noſtris auctoribus ſoli Papiniano amicum eſſe, priſca adhibere verba. Et jam ante hunc recte obſervavit Franciſcus Duarenus lib. I. Diſputationum anniverſariarum cap. 12. unicum Æmilium vetuſte *Fini* & *Ad finem*, pro modo & concurrente quantitate dixiſſe: *Dabitur ei compenſatio* fini *peculii*, ait in *l.* 19. *D. de Compenſationibus*, id eſt, ad eum modum, ad quem ſervus peculium habebit; *ad finem peculii* ipſe ſcribit in *l.* 17. §. 1. *D. de Caſtrenſi pe-*

 culio.

culio. Rursus fini *legitimæ usuræ* in *l*. 1. §. 3. *D. de Pignoribus*, hoc est, ad modum legibus præscriptum; *ad finem centesimæ*, ut ipse interpretatur in *l*. 4. §. 1. *D. de Nautico fœnere*; *μέχρι τῆς ἱκανότητος* Basilica: *ad modum legitimum* Modestinus in *l*. 8. *D. In quibus causis pignus tacite*. Sic & *fini virilis partis*, idem Papinianus in *l*. 5. *D. de Dotis collatione*: fini *quadrantis compensabitur*, id est ad quantitatem Falcidiæ, quam filius percepit, *l*. 16. §. 4. *D. ad Legem Falcidiam*: *Fructibus fini relictæ pecuniæ non perceptis*, in *l*. 26. *D. Quando dies legati* idem. Quemadmodum Cato de Re rustica cap. CXIII. *Amphoras nolito implere nimium ansarum infimarum fini*. Hirtius de bello Africano: *Ita per mare umbilici fine ingressi*. Inde & *quatenus*, *quatenos*, *quatinus* qua fine, *hactenus* hac fine apud eosdem veteres significabat, notante id ex Festo Scipione Gentili lib. I. Parergorum cap. 28. Solus præterea Papinianus *Insuper habere* dixit; pro negligere, parvi æstimare, susque deque habere, in *l*. 43. *D. de Religiosis*, & *l*. 17. *D. de His quæ ut indignis*, quod Vir clarissimus & Papiniano comparandus Cujacius primus docuit lib. III. Observationum cap. 22. & ex aliis recte illustravit lib. XI. cap. 11. Quam inepte litem super hac voce ei

moverit

moverit Robertus, notum est omnibus, nec quisquam paulo nunc humanior est, qui nesciat Muretum & Rævardum in alia omnia abire, qua ratione hæc vox scribenda sit. Nullum supererit dubium, si voculam *insuper* cum *exante* & *inante* componamus, quibus Cicero, Varro, Livius, Propertius pro *ante* usi sunt; prout enim in iis articuli abundant, sic & hic præpositio *in*. *Super* autem Livius & Tacitus pro *præter* usurparunt: Ergo *insuperhabere* idem est, quod *præterhabere*, *posthabere*. Nil clarius! Quemadmodum porro Decemviri INJURIA RUPITIAS, & SI MEMBRUM RUPSERIT dixerant, nec non in Plebiscito Aquilio RUPERIT pro corruperit positum; sic & noster vocabulo *rumpere* utitur, pro corrumpere, in *l. ult. D. ad Legem Juliam repetundarum*. Ut Veteres *infer*, *super*, *exter*, pro inferus, superus, exterus, vel solo Prisciano auctore, posuere; ita & *exter heres*, pro extraneo, qui nomen familiæ testatoris non habet, est apud Papinianum in *l.* 69. §. 1. *D. de Legatis lib.* 2. Ennius:

Et quis exter erit Romæ regnare quadratæ.

Rem munificam & vectigali obnoxiam *munem* appellat, in *l.* 8. *D. de Publicanis*: sicut munes olim dicebantur amici, qui in unum

consensum mutuis animis conspirabant. Unde Lucilius lib. XXVI. apud Nonium: *Munifices munesque amicis nostris videamur viri.* Plautus Mercatore Actus 1. Sc. 1. ℣. 104.

Dico ejus pro meritis gratum me & munem fore.

§. VII. Hæc vero, & quæ id genus sunt alia, culpæ adscribenda esse, si quis profanus dixerit, næ eum ad Anticyras sanosque propinquos abire jubebo. Quanquam enim is non sum, qui de Latinorum verborum usu judicare possim, non tamen hic patiar Papinianum indefensum, indictave causa temere condemnari. Tantum quippe abest, ut propter voculas hasce antiquas, parce & in loco usurpatas, objurgandus sit, ut statuam potius in scholis Grammaticorum mereatur; quod prisca quædam vocabula retraxit è fuga, linguæque per se inopi attulit incrementum. Horrorem utique incultæ vetustatis prudenter refugit, nec Næviana & Pacuviana promiscue affectat, quid usus & ætas ferre possit, seligens inprimis. Non puto eum, si revivisceret, *gnarurit* illud, quod, pro *gnarus sit*, Cujacius lib. XII. Observationum cap. 12. in *l.* 43. *D. ad SCtum Trebellianum* substituit, vel vocem *betant*, quam idem lib. XXIV. Obs. cap. 23. inter vetustissimas ejus refert, in *l.* 8. §. 2. *D.*

2. *D. de Vacatione munerum*, pro ſuis agnitorum eſſe. Vulgata, Haloander & Hugo à porta pro *Betant*, *non ſpectant* habent: Theodorus Marcilius *non velant* emendabat: Sed in Hetruſco libro *non vetant* legitur, à quo cur diſcedamus cauſam nullam video. Vetare eſt arcere, ut eleganter docuit Clariſſimus Gronovius lib. I. Obſervationum cap. 5. ex Seneca Epiſtola XI. *Nihil horum vetari poteſt*. & Tacito lib. XI. Annalium: *qua incerta oceani vetarentur*. Procul hinc, procul abſint igitur caſcæ iſtæ & obſoletæ voces, quæ nullo idoneo auctore defendi poſſunt, maculas venuſto corpori affundentes. Plautum, Ennium, Catonem Lucilium, at quantos duces! ipſum ſecutum oſtendimus, quorum Latinitas aureo ſæculo non indigna. *Plautus* tanti habebatur, ut L. Ælii Stilonis, Varronis & Ciceronis magiſtri, ſententia, apud Quintilianum, ejus ore Muſas locuturas eſſe, ſi Latine loqui vellent, crederetur. Virgilius ex ſtercore *Ennii* aurum legit, & Cicero inimicum pæne nomini Romano dixit, qui ejus ſcripta ſpernat. Quanti *Cato* antiquis fuerit ex Livio, Nepote, Quintiliano, & ex Salluſtio inprimis conſtat, qui adeo ſtudioſe eum imitatus, ut tanquam fur verborum antiqui Catonis, in noto illo ini-

mici Epigrammate incesseretur. *Lucilium* hominem doctum Cicero, eruditissimum Quintilianus appellavit. Optimo deinceps instituto verba *Legum XII. Tabularum* imitatur, ex quibus, velut carmine necessario, tota antiquitatis effigies & verborum prisca vetustas, vel solo Tullio auctore, cognoscenda erat. Si sordidas atque ex ultimis Græciæ oris abortivas voces adhibuisset, in promptu foret velamentum, ex assidua Veterum lectione eas hæsisse; quemadmodum qui in sole ambulant, vel inviti inde colorantur: at vero quia verba electa & magnifica cum judicio & sale inspersit, quid aliud dicemus, quam totidem purpuras, in egregio panno videri? Proprium hoc legislatorum erat, antiqua & veneranda vocabula usurpare; quem morem & ipse Eloquentiæ parens Tullius in legibus suis componendis secutus est, ut liber ejus de Legibus secundus ostendit. Ipse ait, auscultate Grammatici! *Sunt certa legum verba, neque ita prisca, ut in veteribus his sacratisque legibus, & tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora.*

§. VIII. Hæc dum scribo, non possum non mirari, Claudio Salmasio, Viro in Veterum monumentis versatissimo, persuaderi non potuisse, Papinianum orthographia antiqua

tiqua uſum, in *l. 6. D. de Collatione bonorum*; quæ hoc modo Florentiæ concepta eſt: *Nonnunquam Prætor variantem non repellit, & conſilium mutantis non aſpernatur.* Cum enim Deſiderius Heraldus cap. VII. Obſervationum & emendationum Jurisconſultum ſcripſiſſe putaret, *mutanteis*, unde factum *ſit mutantis*; ille acriter in hunc invectus cap. XVIII. Obſervationum ad Jus Atticum & Romanum, ait: *Ut ſubtilitatem ſuam oſtendat Advocatus ſcribendum putat*, conſilium mutantes, *quia ſcriptum, inquit, fuerat*, mutanteis, *unde factum* mutantis. *Sed hariolatur plane & hallucinatur. Nam vetus illa ſcriptura temporibus Jurisconſultorum non amplius erat in uſu. Ennii & Pacuvii ætatem plane redolet.* Tuam fidem, tuam fidem, Salmaſi! Vetuſtus ille ſcribendi modus non uſitatus Papiniano? qui ipſa vocabula antiqua & phraſes vetuſtiſſimas libenter affectavit. Vetus illa ſcriptura temporibus ejus non amplius in uſu? Quid ergo facies Scævolæ, Papiniani magiſtro, qui *curatorei* pro curatori dixit in *l.* 34. §. 1. *D. de Uſu & uſufructu legato?* quid Ulpiano Papiniani aſſeſſori, qui *an* pro eam ſcripſit, in *l. 86. D. de Acquirenda vel omittenda hereditate?* quid Paullo alteri ejusdem aſſeſſori, qui prorſus, ut noſter, in *l.* 8. *D. de. Ser-*

de Servitutibus, servitutem *per partIs adquiri* non posse infit: quid Marciano Papiniani discipulo, qui in *l.* 16. §. 6. *D. de Donationibus* scribit: *ne decipiat profiteri volentIs.* Quid ipsi denique Papiniano, qui in *l.* 20. §. 5. *D. Familiæ erciscundæ* eundem in modum, ut in capite, de quo agimus, quartum multitudinis casum in IS extulit: *IndemnIs igitur coheredes suos præstare cavebit.* Equidem manum non verterim, si cum Francisco Accursio, quem Vir Clarissimus & amicus noster ex asse, Reinoldus in Variis tuetur, Papinianum absolute locutum dicas, & *voluntatem*, vel ejusmodi aliquid, ad vocem *mutantis* subaudire velis. Res enim eodem redit, & alibi eundem sic loquentem offendi, in *l.* 22. §. *fin. D. ad Legem Juliam de adulteriis*, ubi *Mariti*, inquit, *calor & impetus facile decernentis fuit refrænandus.* Contra nil etiam vitii habet, si retenta similiter Florentina scriptura; quam Taurellius dedit, *mutantIs* explices mutantes: nec quicquam caussæ est, cur cum Heraldo contendamus scriptum fuisse *mutantEIs*, quod librarius corruperit in *mutantIs*: vel cum Jacobo Gothofredo ad l. 75. de Regulis Juris; dicamus *mutantIs* pro *mutantEIs* expressum esse: Etenim antiqui Romani cum florente Republica, tum maxime

maxime usque ab Augusto, accusativos plurales per IS & EIS, per IS autem frequentius terminabant. OB CIVIS SERVATOS est in nummo Augusti. *OmnIs homines summa ope*, dixit Sallustius: Virgilius lib. VII. Æneidos v. 164. *Aut acrIs tendunt arcus:* Tacitus lib. I. Annalium cap. 36. *adversus ascendentIs legiones*, & alia hujusmodi, quæ plena manu congessit Eminentissimus Norisius, ad Cenotaphia Pisana. Minime autem opus erat, ut Cujacius variis locis, auctoritate Basilicorum Græcorum τὸν μεταμελόμενον convertentium, *mutantem* legeret: quis enim ab his expectet, uti antiquæ ejus subtilissimæ scribendi scientiæ fuerint periti? Donellus dicebat, se tum serio de sententia, sibi alias non suspecta, dubitare, ubi videat, eam Græcis placuisse.

§. IX. Ab eodem deinceps antiquorum verborum studio est, quod multa in Papiniani libris à vulgatis Grammaticorum regulis abhorrent, quæ tamen ab optimis quibusque scriptoribus sunt usurpata. Juvabit ea per saturam hic collegisse, quia metus est, ne à Criticis vitio creatis possessione sua dejiciantur. Mutat autem subinde significationes verborum, & quæ patientia vulgo sunt, agendi notione utitur. Ut *præstari*, pro

pro præstare, in l. 36. §. 2. D. de Militari testamento: *Pupillus abstentus sit hereditate*, pro abstinuerit, l. ult. D. Si quis cautionibus; quod commune habet cum præceptore Scævola, in l. 44. D. de Pactis & l. 79. ad SCtum Trebellianum. Rursus alia, quæ agendi duntaxat notionem habent, passive nonnunquam extulit; ut *voluntas testatoris tuebitur*, id est, defendetur, in l. 17. D. de Injusto rupto irrito: *Si petitionis dies moraretur*, pro differretur, in l. 5. §. 1. D. Ut legatorum nomine. Sic casus à communibus regulis alienos verbis annectit. *Offendat legi*, pro legem, in l. 1. D. de Usuris nisi hoc ad emblema Triboniani referre malis. *Cum Asiam venisset*, pro in Asiam. l. 73. in fin. D. de Conditionibus & demonstrationibus. Sic alias nominum extremitates, declinationes & genera, quam vulgo, sequitur: *Penelopa*, pro Penelope, in l. 9. D. de Supellectile legata: *Neutri temporis*, pro neutrius, l. 27. D. de Novationibus: *Duo reos habet*, pro duos, l. 6. §. 3. D. ad Legem Juliam de adulteriis: *Concordium* pro concordia, l. 27. D. de Pactis dotalibus: *Consortio* pro consortium, l. 96. D. de Solutionibus: *Incestum* pro incestus, l. 38. pr. D. ad Legem Juliam de adulteriis: *Stipulatus* pro stipulatione, l. 8. D. de Usuris:

Creditori

Creditori ejus, pro creditori suo, l. 27. §. fin. D. ad SCtum Vellejanum. Quorum omnium nomine Papinianus vapularet ab indoctis Orbiliis, qui ultra sua gerundia, supina & ablativos absolutos non sapiunt: Verum otio & Lectoris & meo abuterer, si multis Veterum exemplis hæc corroborare instituerem, quorum nubem Priscianus & Popma dederunt. *Aliud est Latine, aliud Grammatice loqui*, ait Quintilianus lib. I. Institutionum cap. 6. Atat nullum, dicis, Latinum proferes auctorem, qui *immemoria* pro oblivione dixerit, ut Papinianus in *l.* 44. *D. de Acquirenda vel omittenda possessione.* In nonnullis editionibus, quas sequitur Joh. Christianus Itterus ad Brissonium de V. S. voce divisa *in memoria* legitur: sed repugnat phrasis, & statim Æmilius *infirmitatem memoriæ* vocat, quod antea immemoriam. Verius est, quod Scipio Gentilis lib. I. Parergorum cap. 6. animadvertit, inventam hanc vocem à Papiniano, ut ἀμνησίαν exprimeret: sicut Cicero *non curantiam*, ut ἀμελείαν: Lucretius *intactum* ut τὸ ἀναφὲς. addesis Pareum lexico critico pag. 571. Inaudita porro vox est *facti sceleritas*, pro scelere, apud eundem in *l.* 3. *pr. D. de Bonis eorum qui ante sententiam*; quam, ut scopulum fugiens Grotius

Grotius in Floribus ſparſis, *fati celeritatem* cum quibusdam anterioribus Pandectarum editoribus emendat. Ampliſſimus autem Bynkershœkius, Vir Grotio non minor, lib. IV. Obſervationum cap. 4. *ſceleritatem* retinendam ſuadet: nec profecto analogia repugnat; quod ſi enim Labeoni *malitatem*, Lucretio *maximitatem*, Plauto *opimitatem* fingere fas erat, quidni & noſtro *ſceleritatem?* Et quis mihi idoneus ſponſor erit, vocem hanc antiquioribus uſitatam non fuiſſe. Apud Ciceronem, Horatium, Senecam, Columellam occurrunt plurima aliis non uſurpata, in quorum deperditis fortaſſis etiam *ſceleritas* legebatur. Sic multa alia nobis inſolentia & nova videntur, quæ ſi Veterum libri, quorum vix milleſima pars ad nos pervenit, exſtarent, in frequentiſſimo uſu poſita fuiſſe deprehendere liceret. Vide Muretum lib. XV. Variarum lectionum cap. 1. Plures adhæc erant res, quam rerum vocabula, unde pro neceſſitate *parienda erant imponendaque non novis rebus nomina*, ait Cicero lib. I. Quæſtionum Academicarum. Ideoque Celſum reprehendit Fabius, *quod nova verba fingi vetaret* lib. VIII. Inſtitutionum oratoriarum cap. 3. Inde etiam voces *Rheda* ac *petoritum* à Gallis, *mappa* à Pœnis, aliæque aliunde derivatæ,

rivatæ, Latio donandæ erant. Quod si vero morosior aliquis *captatorias institutiones*, *conditionem impossibilem*, *in continenti*, *per consequentias* & talia ferre non possit; eum scire velim, cujusque artis professoribus sua, nec trita singulis, vocabula esse, aliaque Rhetoras, Geometras & Philosophos, alia vero Jurisconsultos frequentasse. Sed tu jam oscitas, mi Lector, & tædet me quoque, diutius hisce immorari.

CAPUT VII.

PAPINIANUS HISTORICUS.

§. I. *Patriam potestatem ex Lege Regia deducit, cujus rigor ea ætate laxatus. Pithœus, Balduinus, Marcilius reprehensi.* II. *Integræ frontis homo calumniatori oppositus, nec tamen lex Remmia ad Constantinum usque in usu, quod voluit Cujacius & alii.* III. *A quo tempore lecti argentei supellectilis esse cœperint. L. 9. §. 1. D. de Supellectile legata Homeri versibus suppletur.* IV. *Fulvia, non Julia, Catilinæ scelus indicavit. Professio lenocinii. L. 8. D. ad Legem Juliam Majestatis, & l. 10. §. 2. D. ad Legem Ju-*

liam de adulteriis illustrantur. V. *Adoptio quare commentum & naturæ imago dicta. Mosi & Plinio lux accensa.* VI. *Conventio in manum quamdiu usurpata. Maritus dominus, uxor domina. Mornacius notatus.* VII. *Fuit Geographiæ peritus. Antiochia CœleSyriæ metropolis, à Severo multata, quando colonia facta. Cellarii sententia examinatur.*

§. I.

MAjora nos vocant. Absit enim putemus Papinianum in primis hisce elementis hæsisse, res cum verbis copulabat, & circa mores majorum omnemque urbis & orbis antiquitatem evagabatur. Ad altiora natus erat, quam ut in pulvere scholastico consenesceret, rebus gerendis, provinciis, regnis administrandis mature animum præparabat. Hoc autem, ut consequeretur, regum illa κρύφια & imperii arcana, omnium temporum res gestas & tragica dramata nosse oportuit. Aulica quippe prudentia ex usu est, usus ab exemplis, exempla in Historia, velut in diffuso speculo, conspiciuntur.

Hæc tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum:
Hæc exempla dabit.

Ne

Ne igitur nudâ verborum cura ſapientiæ vim infringeret, proximum fuit, ut iisdem præceptoribus Grammaticis præeuntibus Hiſtoriæ operam daret, ſine cujus cognitione vel ſemper infans futurus erat. Res eſt, quod dixit Tullius, Hiſtoriam teſtem temporum eſſe, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nunciam vetuſtatis, quam qui à ſtudio prudentiæ civilis vel à Jurisprudentia Romana divellit, is navem cum ſocio dividere videtur. Et quam non larga omnis generis antiquitatum hic meſſis foret, ſi Tribonianus & ſocii pleraque ejus obſoleta non rejeciſſent, ut juſſerat Imperator. Mihi enim certum fixumque ſedet, virum peregrinum & tam induſtrium ab ipſis Urbis natalibus hoc ſtudium inchoaſſe, ut cognito diverſo, qui ſub Regibus, aut ſub libera Republica, vel ſub Imperatoribus fuerat ſtatu, diſtinctius quæ legum fuiſſet occaſio, quod tempus, quæ cauſſæ, quis proceſſus, & per quos decurrerint gradus, animo complecteretur. Elegans, niſi fallor, hujus rei documentum dedit libro ſingulari de Adulteriis, ex quo Pariator legum Moſaicarum & Romanarum Titulo IV. ſequentia nobis conſervavit: *Cum patri lex Regia dederit in filiam vitæ necisque poteſtatem, quo bonum fuit lege*

 com-

comprehendi, ut potestas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi rescribere: nam scire cupio. Respondit: Numquid ex contrario præstat nobis argumentum hæc adjectio, ut non videatur lex non habenti dedisse, ut videatur majore æquitate ductus adulterum occidisse, cum nec filiæ pepercerit. Hactenus Papinianus. Cujus sensum satis obscurum feliciter expressit Petrus Pithœus, Vir Clarissimus, in notis: Legem scilicet Juliam non tam dedisse patri jus necis in filiam, quam necessitatem imposuisse, filiam occidendi, siquidem & adulterum occidere vellet. In eo autem fallitur & recte reprehensus à Jacobo Gothofredo ad *l. 2. C. Th. de Liberali causa*, quod frustra hanc quæstionem Papiniano propositam putabat, si non jus quoque vitæ & necis eo tempore parentibus adhuc competiisset. Totus quippe contextus docet, hic non de usu legis Regiæ quæri; sed juris quendam studiosum, cum inter legem Regiam & legem Juliam de pudicitia ἀντινομίαν quandam reperisset, curiosam hanc quæstionem Papiniano, antiquarum legum optimo arbitro, decidendam proposuisse, qui & subtili ratione ei satisfecit. At infinitum illud patris imperium, jam paulatim à C. Cæsare & deinceps secutis Imperatoribus laxatum erat, non modo ob abusum,

ut

ut plerique opinantur, ſed quam maxime, quia privata illa *majeſtas*, ut Valerius appellat, Imperio Monarchico non ſatis conveniebat. Omnes ſciunt, regnante Hadriano novam quandam Juriſprudentiæ rationem cœpiſſe, tum quoque firmandæ ulterius dominationis gratia, omnem privatorum juriſdictionem aboleri intererat Principum, quod necdum, per umbram libertatis populo relictam, commode ſatis fieri poterat. Spartianus de eo ſcribit cap. XVIII. *Servos à dominis occidi vetuit, eosque juſſit damnari per judices, ſi digni eſſent.* Quanto magis ergo in filiis idem obtinuit, quia utraque poteſtas pari paſſu ambulabat, & *Dominum eundem eſſe, qui ſit pater, etiam juris civilis ratio demonſtrat*, inquit Lactantius lib. IV. Divinarum inſtitutionum cap. 3. Sed & jam ante Hadrianum, Trajanus filium, à patre male contra pietatem affectum, coëgit emancipare; cumque eo defuncto pater, ut manumiſſor, bonorum poſſeſſionem ſibi competere diceret, conſilio Neratii & Ariſtonis, propter neceſſitatem ſolvendæ pietatis, ei denegata eſt, ipſo Papiniano referente in *l. ult. D. Si à parente quis manumiſſus.* Hadriani quoque decretum hoc ipſum quodammodo confirmat in *l. 5. D. de Lege Pompeja de paricidiis.* & Pius

Antoninus desertorem à patre oblatum in deteriorem militiam dari jussit, ne pater ad supplicium detulisse videretur *l.* 13. §. *fin. D. de Re militari.* Papiniani denique assessores suffragium ferunt, Ulpianus in *l.* 2. *D. ad Legem Corneliam de sicariis*, & Paullus in *l.* 11. *D. de Liberis & postumis heredibus instituendis.* Valdeque nugantur, qui cum Pithæo & Wissenbachio Emblema Triboniani in dicta *l.* 11. agnoscunt, tempus præteritum pro præsenti positum existimantes. Errat etiam Franciscus Balduinus, cum ad leges Romuli folio 24. à Tullo Hostilio rigorem legis regiæ jam mitigatum contendit, quæ tamen salva, auctore Dionysio, in quartam tabulam legum XII. Tabularum migravit, & ad extrema Reipublicæ tempora in usu mansit, ut ex Sallustio de conjuratione Catilinæ apparet, ubi Fulvius filium ex fuga retractum necavit. Nec minus hallucinatur Theodorus Marcilius ad caput XXIV. Duodecim Tabularum tradens: Diocletianum demum occidendi potestatem abrogasse videri, qui & vendendi abrogavit *l.* 1. *C. de Patribus qui filios distraxerunt.* Ex dictis enim satis jam patet, ab occupata Republica pedetentim, ut moribus solet, durissimam illam potestatem mitigatam esse, donec ex Constitutione Con-
stantini

ſtantini *l. unica C. de His qui parentes vel liberos occiderunt* in totum tolleretur. Ceterum quod Papinianus patriæ poteſtatis jus *lege Regia* introductum ait, idem & Dionyſius Halicarnaſſeus docet, ſed fluctuans, lib. II. num. 28. *Hanc legem primi illi REGES obſervabant, incertum ſcriptamne an ſine ſcripto proditam; habentes pro omnium optima.* Unde lucem mutuatur Ulpianus, qui *moribus receptum* ſcribit in *l.* 8. *D. de His qui ſui vel alieni juris.* Quanquam & frequens eſt, lingua Juriſconſultorum moribus adſcribi, quæ veteribus primum legibus introducta ſunt: vel cum Emundo Merillio lib. II. Obſervationum cap. 4. dici poteſt, Legem Regiam de jure patris tantum loqui, quod mores deinde ad avum, & proavum, & reliquos parentes, de quibus ibi loquitur Ulpianus, licet non eodem effectu, extenderunt. Nec enim novum eſt, aliquid jure mixto, id eſt jure ſcripto & non ſcripto, introductum fuiſſe. Videatur Paullus lib. V. Sententiarum titulo 4. §. 6.

§. II. Pergo ad Legem Remmiam, qua antiquiſſimis temporibus veritas, pulſa falſitate atque mendacio, in judiciis reſtituta eſt. Meminit ejus Papinianus, primus Juriſconſultorum, quorum fragmenta habemus, & ante Marcianum unicus, in *l.* 13. *D.*

D. de Testibus verbis sequentibus: *Quaesitum scio, an in publicis judiciis calumniae damnati testimonium judicio publico perhibere possunt? Sed neque lege REMMIA prohibentur, & Julia lex de vi, & repetundarum, & peculatus eos homines testimonium dicere non vetuerunt. Veruntamen quod Legibus omissum est, non omittetur religione judicantium: ad quorum officium pertinet, ejus testimonii fidem, quod INTEGRÆ FRONTIS homo dixerit, perpendere.* Mentem legis non satis percepisse videtur Cujacius, cum in Commentario ait, Papinianum non per metaphoram & allusionem, sed proprie admodum hominem integræ frontis opposuisse calumniatori, cujus frons ex lege Remmia ferro candenti inuri solebat prima litera sui nominis K, quæ Kalumniatorem vel Kalumniam significabat; ut Terentius Scaurus, & Velius Longus & Diomedes de Orthographia tradidere. Fundamentum opinionis est, quod Papiniani tempore legem Remmiam adhuc observatam, & à Constantino Protochristiano demum in *l.* 17. *C. de Pœnis* sublatam existimabat, pulchra illa ratione, scilicet! ne facies, quæ ad similitudinem cœlestis pulchritudinis est formata, stigmate maculetur. Idem tradit Vir Clarissimus lib. VII. Observationum cap.

13.

13. quem Wissenbachius aliique exscripserunt. Utut autem à doctissimi Cujacii sententiis nunquam nisi invitus recedo, cujus errores etiam eruditos esse scio, & quasi nævos in pulcherrimo corpore, vereor tamen, ne in hac quæstione fortuna judicii eum destituerit. Siquidem laudata lex XVII. de *damnatis in ludum vel metallum* tantum loquitur, qui ne ludi vel metalli conditionem effugere possent, notis & puncturis in facie signabantur. Legis autem Remmiæ pœna jam dudum consenuerat, ex quo Augustus talionem introduxit. Verba Suetonii ea de re lib. II. cap. 32. sunt ista: *Diuturnorum reorum & ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas, inimicis quæreretur, nomina abolevit: conditione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret.* Quorsum respicit Honorii & Theodosii Constitutio in l. ult. C. de Calumniatoribus: *Quisquis crimen intendit non impunitam fore noverit licentiam mentiendi: cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* De Tito Vespasiano item Suetonius lib. VII. cap. 8. *Inter adversa temporum & delatores mandatoresque erant, ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per Amphitheatri harenam, partim sub-*

 jici

jici in servos, ac vænire, imperavit: partim in asperrimas insularum evehi. Domitianus etiam, cujus vox solennis: *Princeps, qui delatores non castigat, irritat*, non stigmatis, sed exilii pœna calumniantes repressit, auctore eodem Tranquillo lib. VIII. cap. 9. *Reos*, inquit, *qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit: nec repeti nisi intra annum eaque conditione permisit, ut accusatori, qui causam non teneret, exilium pœna esset.* Torrentium turbarant verba, *apud ærarium pependissent:* quæ rectius Gulielmus Ranchinus lib. I. Variarum lectionum cap. 7. reorum nomina, quæ in actis superiorum annorum ad ærarium relatis ibidem ab accusatoribus neglecta latebant, interpretatur. Rem omnem conficit Plinius in perfecto Panegyrico ad Trajanum cap. XXXV. de Calumniatoribus: *Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent: expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur; neque UT ANTEA exsanguem illam & ferream frontem nequidquam convulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant; sed spectent paria præmio damna, nec majores spes, quam metus habeant, timeantque quantum timebantur. Ingenti quidem animo Titus securitati nostræ ultionique prospexerat, ideo-*
que

que numinibus æquius est : sed quanto tu dignior cœlo. cetera. Verum quid cessamus amplius? Dudum ante Papinianum Prætor in Edicto de His qui notantur infamia proposito, eum, QUI IN JUDICIO PUBLICO CALUMNIAE PRAEVARICATIONISVE CAUSA QUID FECISSE JUDICATUS ERIT, infamia notavit. Quod caput ipse Papininianus in *l.* 20. *D. Eodem titulo* illustrans, instigatorem accusantis ordinariam calumniatorum pœnam, quæ sola infamia erat, non subire, respondet: *Ob hæc verba sententiæ Præsidis provinciæ:* Callido commento videris accusator fuisse: *potius pudor oneratur, quam ignominia videtur irrogari.* Superest igitur dicamus, Papinianum eleganter in *dicta l.* 13. ad veterem morem inscribendi vultus allusisse, atque integræ frontis hominem figurate ponere pro homine integræ famæ, opinionis, dignitatis; non duræ, ferreæ, sed teneræ & verecundæ frontis, quæ pudoris templum. Persius Sat. V. vers. 102.

Navem si poscat sibi personatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta, perisse
Frontem de rebus.

Eodem modo Julianus in Oratione adversus Antiochenos, dum ænigma in eum proposuissent,

posuissent, quo desiderabant K, Constantium, & incessebant Julianum, quod Christianos persequeretur, ille *Optat Deus*, inquit, *Antiochenis infligere duplex K K, quod vicinas civitates calumniati sunt.* Non quod putaret, litteras illas inurendas esse, sed ex vetusto ritu sic loquitur argute. Nescio autem an præsidium in hoc loco habeant Diaconus, Isidorus & Manutius, qui duplex kappa impressum volunt, ut *Kalumniæ Kausa* esset: fortassis enim Julianus & ad nomen Imperatoris, & ad calumniam respicit; Cicero utique numero unitatis, in oratione pro Roscio cap. XX. utitur: *Litteram illam, cui vos usque eo inimici estis, ut omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.*

§. III. Non minus elegantem inspectionem habebit *l.* 9. §. 1. *D. de Supellectile legata*, quam supra pag. 36. leviter jam tactam, nunc plenius excutiemus. Verba Papiniani primum adscribo: *Supellectilis mensas esse cujuscunque materiæ (scilicet vel argenteas, vel argento inclusas) placet. Nam & argenteos lectos & argentea candelabra supellectili cedere, posterior ætas recepit: cum & Ulixem ex auro & argento lectum viventis arboris truncis ædificatum ornasse, quem*

Penelopa

Penelopa recognoſcendi viri ſignum accepit, ut voluit Homerus. Andreas Alciatus lib. II. Prætermiſſorum recte docuit, indicari locum ex Odyſſeæ lib. XXIII. cujus verſus à Papiniano vel Triboniano forſan, quod pluſculi eſſent, omiſſos, huc adſcribere non piget. Sic autem Ulyſſes à verſu 190. pronunciat:

Θάμνος ἔφυ τανύφυλλος ἐλαίης ἕρκεος ἐντὸς,
Ἀκμηνὸς θαλέθων· πάχετος δ' ἦν ἠΰτε κίων·
Τῷ δ' ἐγὼ ἀμφιβαλὼν θάλαμον δέμον, ὄφρ' ἐτέλεσσα
Πυκινῆς λιθάδεσσι, καὶ εὖ καθύπερθεν ἔρεψα.
Κεκλητὰς δ' ἐπέθημα θύρας πυκινῶς ἀραρυίας.
Καὶ τότ' ἔπειτ' ἀπέκοψα κόμην τανυφύλλου ἐλαίης.
Κορμὸν δ' ἐκ ῥίζης προταμὼν ἀμφέξεσα χαλκῷ
Εὖ καὶ ἐπισταμένως, καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνα,
Ἑρμῖν' ἀσκήσας· τέτρηνα δὲ πάντα τερέτρῳ.
Ἐκ δὲ τοῦ ἀρχόμενος λέχος ἔξεον ὄφρ' ἐτέλεσσα,
Δαιδάλλων χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἠδ' ἐλέφαντι
Ἐκ δ' ἐτάνυσσα ἱμάντα βοὸς φοίνικι φαεινόν.
Οὕτω τοι τόδε σῆμα πιφαύσκομαι· οὐδέ τι οἶδα
Εἴ μοι ἔτ' ἔμπεδόν ἐστι λέχος, ἦέ τις ἤδη
Ἀνδρῶν ἄλλοσε θῆκε ταμὼν ὑπὸ πυθμεν ἠλαίης.

Vertit Stephanus Berglerus:

Frutex erat patulus foliis olivæ ſeptum intra, Vigens,

Vigens, florescens: spissitudine autem erat tanquam columna:
Huic autem ego circumdans thalamum struxi, donec perfeci
Densis lapidibus, & bene desuper texi:
Conglutinatasque imposui januas dense aptas:
Et tunc postea abscidi comam frondosæ olivæ:
Truncum autem ex radice incidens, circum polivi ære
Bene & scite; & ad amussim direxi,
Fulcrum faciens: terebravi autem omnia terebra.
Exque hoc incipiens lectum dolavi, donec perfeci,
Variegans auroque & argento, & ebore,
Extra autem extendi pellem bovis purpura splendidam.
Sic tibi hoc signum dico: neque scio
An mihi adhuc incolume est cubile, aut aliquis jam
Virorum alibi posuit succiso fundo olivæ.

Ex his colligit Papinianus, si jam Homerus finxit Ulyssem lectum, ex vivacissima arborum oliva confectum, auro & argento ornasse; quid mirum est, posteriorem ætatem, in luxum magis pronam & avis pejorem, argenteos lectos supellectili annumerare.

rare. Primus autem civitatis Romanæ mos fuit, fictili, aut vitrea, aut ænea, aut lignea supellectile uti; refertque Paullus, pristinam sæculi severitatem nullam argenteam supellectilem admisisse *l.* 3. §. 5. *D. de Supellectile legata*, Ulpianus in l. 19. §. 9. D. de Auro argento mundo. *Argento facto*, inquit, *Quintus Mucius ait*, *vasa argentea contineri: veluti paropsidas*, *acetabula*, *trullas*, *pelves*, *& his similia: non tamen*, *quæ supellectilis sunt*. Rationem dat Seneca libro de vita beata cap. XXI. *M. Cato*, *cum laudaret Curium & Coruncanium*, *& sæculum illud*, *in quo Censorium crimen erat*, *paucæ argenti lamellæ*, *possidebat ipse quadragies sestertium*. Exemplum est in Cornelio Ruffino bis consule; quem Fabricius Censor Senatu movit, quod decem pondo argentea vasa haberet, Valerius lib. II. cap. 9. Asia autem devicta primum luxuriam misit in Italiam, quam Sylla deinde civili bello expiavit. Sed rursus Varro lib. VIII. de Lingua Latina: *Rogant*, ait, *si similitudo sequenda*, *cur malimus habere lectos*, *alios ex ebore*, *alios ex testudine*, *sic item genere aliquo alio.* Plinius lib. XXXIII. Historiæ naturalis cap. II. *Lectos vero mulierum jam pridem totos operiri argento scimus*, *& triclinia quædam*, *quibus argentum addidisse primus tra-*

ditur

ditur Carvilius Pollio, Eques Romanus. Cum Tiberii imperio vaſa auro ſolida, miniſtrandis cibis frequentarentur, ne ea fierent decretum eſſe, modumque argento, ſupellectili, familiæ poſtulatum, auctor eſt Tacitus lib. II. Annalium cap 33. Et nihilo ſecius auri argentique ſtupenda multitudo, luxum eo provocabat, ut aureæ cameræ, argenteæ trabes, cacabi etiam, pultaria, ſartagines, aliaque coquinaria vaſa ex argento, in ſupellectili haberentur, Plinius dicto libro, cap. 3. & Celſus, qui Hadriano à conſiliis, *Nunc*, inquit, *ex ebore, atque teſtudine, & argento, jam ex auro etiam atque gemmis ſupellectili utimur*, in *l.* 7. §. 1. *D. de Supellectile legata.* At lecti privatorum plerumque argento inducti, *inargentati* vel *inaurati*, ut Paullus loquitur in dicta *lege* 3. §. 3. Lampridius in Heliogabalo, tanquam ſingulare iccirco notat, quod is ſolido argento lectos habuit triclinares & cubiculares cap. XX. in ejus vita.

§. IV. Prorſus ad Hiſtoriam pertinet, quod libro tertio decimo Reſponſorum, in *l.* 8. *D. ad Legem Juliam Majeſtatis* ſcribit: *In quæſtionibus læſæ Majeſtatis etiam mulieres audiuntur: conjurationem denique Sergii Catilinæ Julia mulier detexit, & Marcum Tullium Conſulem indicium ejus inſtruxit.*

Non

Non ab re Taurellus *Juliæ* nomen, in Tuſco libro ſuſpectum vel depravatum videri, conſueto ſuo ſigno hic notavit: ceteri enim Hiſtorici omnes *Fulviam* appellant, ut Cujacius obſervavit. Salluſtius Bello Catilinario cap. XXIII. *Fulvia, inſolentiæ Curii cauſſa cognita, tale periculum Reipublicæ haud occultum habuit; ſed ſublato auctore, de Catilinæ conjuratione quæ, quomodo audierat, compluribus narravit.* Appianus de bellis civilibus lib. II. *Hos occultos apparatus prima omnium indicavit Fulvia, non ignobilis femina.* Plutarchus vita Ciceronis cap. XXI. *Hæc Fulvia nobilis mulier Ciceronem noctu conveniens aperit, monetque ut ſibi ab iis caveat.* Florus lib. IV. cap. 1. *Tanti ſceleris indicium per Fulviam emerſit, viliſſimum ſcortum, ſed parricidii innocens.* Verum aut ego vehementer fallor, aut non eſt veriſimile, Papinianum in nomine tam famoſo aberraſſe. Scripſit *Fulvia*, quæ facili deſcriptorum lapſu, in *Juliam* tranſiit. Quale quale ejus rei argumentum præbet, quod Gratianus in Decretorum compilatione Can. Certis Cauſa XV. Quæſt. 3. eadem ejus verba referens; ſecundum accuratiſſimam; & ad Manuſcriptos Codices optimos collatam fratrum Pithœorum editionem, *Fulvia* expreſſit, ſine ulla emen-

dationis nota: quamvis Cujacius in vetuſtis libris *Julia* ſe inveniſſe ſcribat. Verba, ſi quis dubitet, ibi leguntur ſequentia: *In Digeſtis ad legem Juliam Majeſtatis, lege octava, Papinianus libro ſecundo* (eſt decimus tertius) *Reſponſorum: In quæſtionibus læſæ Majeſtatis etiam mulieres audiuntur. Et conjurationem denique Lucii* (alii *Sergii*) *Catilinæ Fulvia mulier detexit, & M. Tullium Conſulem indicio ſuo inſtruxit.* Quanti porro temporum cognitionem fecerit, exinde apparet, quod Principum Conſtitutiones ſuis quibusque auctoribus reddit; nunc Tiberium in *l.* 38. §. *fin. D. ad Legem Juliam de adulteriis*; Veſpaſianum *l.* 2. *D. de Accuſationibus*; Domitianum *l.* 2. *D. de Cuſtodia reorum*; mox Trajanum *l.* 10. *D. ad Senatusconſultum Turpillianum*; Adrianum, *l.* 6. *D. ad Legem Juliam de adulteriis*; Antoninum Pium *l.* 17. *D. ad Municipalem* ceterosque dilaudans. Prætereo immenſam Legum ſilvam, quarum ætates diſtinguit accurate. Et quam non amice conſpirat Senatusconſultum, cujus meminit in *l.* 10. §. 2. *D. ad Legem Juliam de adulteriis*, cum Tiberii temporibus, ſub quo Tacitus ſcribit lib. II. Annalium cap. 85. Anno V. C. 772. *gravibus SENATUS DECRETIS, libidinem feminarum coërcitam, cautumque*

ne quæstum corpore faceret, cui avus, pater, aut maritus Eques Romanus fuisset. Nam Vistilia, prætoria familia genita, licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis pœnarum, adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant. De lenocinio & operis in scenam locatis magis expresse Suetonius in Tiberio cap. XXXV. *Feminæ famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda Senatusconsulto tenerentur, famosi judicii notam sponte subibant. Eos easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exilio affecit.* Quæ de professione stupri vel lenocinii apud Ædiles, de professarum infamia, de mutatione vestium alii, & Lipsius in primis ad hæc loca, recte dixerunt, non opus est repetamus. Illa tamen non vulgaris observatio erit, tria feminarum probrosarum genera in Venerea hac militia distinguenda esse. Ambubajæ & servorum sordidulorum scorta diobolaria, quæ diurni nocturnique quæstus gratia, ante stabula sedebant, infra Legis Juliæ curam erant; nec magis quam Legibus Mosis & Solonis in iis stuprum vindicabatur.

 Feminæ

Feminæ autem noctu & honestiore loco copiam sui tantum facientes, nomen & impudicitiam, apud Ædiles, pudicitiæ custodes & Censorum vice fungentes, profitebantur: quo ipso dignitate, jure, & ornatu matronali solutæ, erant quidem ipso jure infames; non tamen incidebant in pœnam Legis, sed metetricium faciendi, & publicum lupanar in ipsa Urbe, suspenso titulo, exercendi facultatem nanciscebantur. Quorsum pertinet quod Labeo & Marcellus, apud Ulpianum, in *l.* 4. §. 3. *D. de Condictione ob turpem causam* scripsere: *Illam turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix.* Sed hæc vulgarium puellarum, libertarum & medioxumæ sortis mulierculaturum secta vitæque ratio fuit, quas necessitas urgebat, quoquomodo famem cum libidine propellendi. Inscriptio elegantissima hoc docet apud Gruterum pag. DCLII. 1.

VILIAE. Ɔ. L. CALYBENI
LIBERTAE. LENAE
AB. ASSE. QVAESITVM
LVCRO. SVO
SINE. FRAVDE. ALIORVM
H. M. H. N. S.

Rarius auditum, summi ordinis matronas, omnem adeo ejurasse pudorem, ut nomen

pro-

profiteri non erubefcerent; vel fi jam fextus & octogefimus annus vetulam pulfaret, conducere fornicem, atque in eo lenocinium exercere tentarent. Hoc autem, cum Tiberii tempore fæpius in fraudem Legis fieri cœpiffet, ex Senatusconfulto adulterii accufari & damnari poterant; quæ antea tantum ad confervandum pudorem ac famam familiarum, nomen mutare coactæ. Plautus Pfeudolo Actus V. Sc. 3. ♈. 20.

Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæftum corpore.

§. V. Non unam interpretationem recipit, quod idem Papinianus in *l.* 23. *D. de Liberis & poftumis heredibus inftituendis* tradit: in omni fere jure fic obfervari, ut veri patris adoptivus filius nunquam intelligatur: *ne imagine naturæ veritas adumbretur.* Adoptio enim imago naturæ, vel ut Gajus exprimit lib. I. tit. 7. *naturæ fimilitudo* videtur, quia naturæ defectum fupplet, & in folatium orbitatis, εἰς τὸ τῆς φύσεως ἐλάττωμα ἢ δυςύχημα ἐπικουφίσαι, *ad molliendum naturæ defectum vel infortunium*, auctore Theophilo, eft reperta. Unde Auguftum, amiffis liberis, nepotibus, exhaufta Cæfarum turba, *adoptione defertam domum fulfiffe*, eleganter fcribit Seneca Confolatione ad Mar-

ciam cap. XV. & Crinitus apud Vopiscum Aureliano c. XIV. in filiorum locum semper electos ait: *ut vel senescentes familias, vel fœtus matrimoniis jam caducos substituta fecunditas prolis ornaret.* Nihil præterea contrarium continet adoptio, quod non per naturam fieri possit; in iisdem personis locum habet, in quibus etiam liberorum procreatio habere potest, *l.* 16. *D. de Adoptionibus.* Et quia pro monstro est, ut major sit filius, quam pater; hinc minorem à natu majore adoptari non posse, placuit, §. 4. *Institutionum eodem.* Calpurnius Flaccus Declamatione XXX. *Adoptio sancta res est, quæ beneficia naturæ & juris imitatur.* Ausonius in Cæsaribus, in Nerva:

Nulla viro soboles, imitatur adoptio prolem,
Quam legisse juvet, quam genuisse velit.

Deinde *imago* dici potest, quoniam per tres imaginarias venditiones & duas manumissiones, ex Legibus XII. Tabularum fieri solebat, *l. ult. C. de Adoptionibus:* Ulpianus *solennitatem* appellat in *l.* 25. *dicto titulo*; eamque adhibuit Augustus, cum *Cajum & Lucium adoptavit domi per assem & libram emtos, à patre Agrippa*, Suetonius lib. II. cap. LXIV. Sed & *veritas imagine naturæ* non adumbratur; quia veritas est jus naturæ; adoptio est negotium civile, civilis ratio,

tio, qua ei legibus filius fit, cui Natura filium proprium denegavit, ut est apud Julium Firmicum lib. VI. cap. 31. Unde Cicero pro domo: *veritatem suscipiendorum liberorum* adoptioni, & Modestinus filiosfamilias natura, adoptione factis opponit in *l. 1. D. de Adoptionibus.* Nec tamen contra naturam est adoptio, quod sensisse, vel saltem ejus indolem non satis considerasse videtur Grotius, cum lib. II. de Jure belli & pacis cap. 5. §. 26. scribit: patrem filium suum eo modo alteri dare non posse, ut jus paternum plene in eum transeat, & ipse paterno officio exsolvatur, id enim naturam non pati. At nec patitur id jus civile, quod effectus patriæ potestatis illos tantum, qui juris permissivi sunt, extinguit, jura cognationum autem & adfinitatum salva tuetur, auctore Modestino in *l.* 4. §. 10. *D. de Gradibus.* Verum enim vero quam speciosæ etiam dictæ explicationes prima fronte videantur, magis tamen est, ut Papinianus ad veterem ritum respexerit, quo mulieres in adoptionibus parturitionem in lecto geniali simulabant. Veritatem enim patris, naturaliter filium generantis, opponit imagini & fictioni partus; quam ipse, optimus sui interpres, *adoptionis commentum* vocat, in *l.* 76. *D. de Conditionibus & demon-*

 stratio-

ſtrationibus. Minus expreſſa ejus moris veſtigia apud alios, ſed manifeſte eum indicat Plinius in Panegyrico ad Trajanum cap. VII. Verba Plinii: *Superbum iſtud & regium, niſi adoptes eum, quem conſtet imperaturum fuiſſe, etiamſi non adoptaſſes. Fecit hoc Nerva, nihil intereſſe arbitratus, genueris an elegeris: ſi perinde ſine judicio adoptentur liberi, ac naſcuntur. Niſi tamen quod æquiore animo ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit, quam elegit. Sedulo itaque vitavit hunc caſum, nec judicium hominum, ſed Deorum etiam in conſilium adſumpſit. Itaque non tua in CUBICULO, ſed in templo, nec ante GENIALEM TORUM, ſed ante pulvinar Jovis Optimi Maximi, adoptio peracta eſt.* Multis nominibus adoptiones Principum differebant ab adoptionibus privatorum; ut Galba Imperator in ſua Piſonis electione apud Tacitum oſtendit, lib. I. Hiſtoriarum cap. 15. Inter Trajani autem & privatorum adoptionem id diſcriminis notat hic Plinius, quod ille non in cubiculo, ante genialem torum; ſed in templo, ante pulvinar Jovis in filii locum adſcitus. Lectus genialis à gignendis vel generandis liberis nomen tulit, quem matres filiabus cum in manum mariti convenirent, magnifico apparatu in

atrio

atrio ſternebant. *Pulvinar geniale* vocat Catullus LXII. ℣. 46. *Thalamum*, Virgilius IV. Æneidos ℣. 550. *Torum genialem*, VI. ℣. 603. Ipſe Papinianus *lecti* hujus meminit, titulo IV. Collationis legum Dei & Romanarum. *Lectum genialem* dixit Conſtantinus in *l.* 30. *C. ad Legem Juliam de adulteriis*. Exinde, cum voti compos facta uxor, idem lectus iterum pro puerpera ornatus: Prudentius in Symmachum lib. I. ℣. 254.

Nondum maternam partu vacuaverat alvum,
Conceptamque viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba; jam gravidæ fulcrum geniale paratur.

Illuſtribus autem feminis, maxime quæ domum Auguſtam affinitate vel amicitia tangebant, in templis lectus ille nuptialis ſtratus, in quibus & pepererunt: Sic Fauſtina Marci uxor Severo Juliam uxorem ducturo thalamum in templo Veneris, quod in palatio erat, apparavit, auctore Dione lib. LXXIV. & Lampridius inter omina imperii ponit, quod *tabula Trajani Imperatoris, quæ geniali lecto matris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum ejus decidit*, in Alexandro cap. XIII. Si quæ improles eſſent, earum mariti, eodem loco, quo li-

beros naturales tollere ſperarant, per adumbratam imaginem & partus ſimilitudinem civiles ſibi liberos nuncupabant; Principes quidem in templis, pro aris & altaribus, vel pro roſtris in foro, aut in Senatu, vel in caſtris adoptando ſucceſſores ſibi deſignabant, nec tamen domeſticæ religionis obliviſcebantur. Propertius lib. III. Elegia 16. de Marcello ab Auguſto avunculo adoptato:

Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Cæſaris eſſe focos?

Ubi Joſephus Scaliger in Caſtigationibus primus vidit, intelligi adoptatum. Ante larem enim domeſticum & adoptiones fiebant, & libera toga ſumebatur, & alii ejusmodi ritus obibantur: Genii vero & lares non tantum in atriis poſiti, ſed & *focus* ipſis ſacer: Poëta Comicus: *Hæc imponentur in foco noſtro lari.* Valerius Maximus lib. II. cap. 4. *Aquam calidam filiis à foco petens, genibus nixus Lares familiares oravit.* Vetus Scholiaſtes Horatii Epod. II. *Juxta focum dii penates poſiti fuere, laresque inſcripti: idcirco quod ara Deorum larium focus fuit habitus.* Eosdem etiam in *cubiculo*, cujus ſupra meminit Plinius, cultos, indicat Suetonius in Domitiano cap. XVII. *Puer, qui*

curæ

curæ Larium cubiculi ex consuetudine adsistens, interfuit cædi. Si quæras, cur in conspectu larium partus ille simulandus fuerit; dicam confestim, non solum ob sacra familiaria id factum, quorum particeps fiebat adoptatus, sed etiam, ut iis in posterum commendaretur recens allectus filius, quia lares gressus liberorum servare credebantur, Tibullus lib. I. Eleg. 11. ℣. 15.

Sed patrii servate Lares, aluistis & iidem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.

Non primis autem Romanis ludicrus ille adoptandi ritus placuit: apud Judæos etiam, qui alterius filium adoptaturus puerperam genibus fulciebat, & partum à matre rubentem super genua sua collocabat. Rahel Jacobo dicebat: *Ecce ancillam meam Bilham, congredere cum ea, ut pareat super genua mea, & liberos consequar ego quoque ex ea.* Genes. XXX. ℣. 3. Iterum ubi Jacobus nepotes ex Josepho adoptare volebat, Genes. XLVIII. ℣. 9. eos propius in genua & gremium admoveri jussit, deinde *abducens illos Joseph à genibus ejus*, quasi peracto jamjam negotio, in gratiarum actionem, *incurvavit se in faciem, & prono in terram vultu adoravit.* ℣. 12. De aliis populis diserte Diodorus Siculus lib. IV. cap. 3. *Adjiciendum est superioribus, Jovem persuasisse*

suasisse Junoni, ut Herculem se fingeret genuisse, matrisqus erga eum deinceps benevolentiam ostenderet. Partum ejusmodi fuisse tradunt: Juno cum lectum ascendisset, sumtum juxta corpus Herculem per vestes inferius demisit, verum partum imitata; sicut & nunc usque in filiorum adoptione observant barbari. Atque ita nunc satis, nisi fallor, constat, quænam illa sit *imago naturæ:* in quo lateat adoptionis *commentum:* nec admodum refragabor, si quis eundem in modum accipiat Justiniani illud: *Cum tanta fragilitas est adoptionis, ut possit in ipso die & filius fieri, & extraneus per emancipationem inveniri: quis patiatur jura patris naturalis NEXU DIVINO copulata, LUDIBRIO defraudari?* in l. 10. C. de Adoptionibus: fors etiam *ludibrii* vocem à Papiniano, cujus sententiam ibi quodammodo procedere jubet, est mutuatus.

§. VI. Transeamus ad alia. In *l.* 121. §. 1. *D. de Verborum obligationibus* Papinianus hisce verbis: *Mulier ab eo, in cujus manum conveniebat*, ad vetustissimam matrimonii speciem alludit, qua uxor in potestatem mariti transibat; hæc vero quia Justiniani tempore exoleverat, ideo pro dictione *manum*, *matrimonium* substituit Tribonianus: non recentiores, ut Alciatus lib. XI.

Parer-

Parergorum cap. 7. exiſtimabat. Simile facinus idem in ejusdem *l.* 15. *D. de Ritu nuptiarum* commiſit, ſcribendo *in matrimonium convenire*, pro eo, quod antea fuerat, *in manum convenire*. Id quod Cujacius primus docuit ad fragmenta Ulpiani titulo IX. & Tiraquellus deinde in Legibus connubialibus l. IV. gl. 1. par. 4. Gutherius de veteri jure Pontif. lib. I. cap. 16. Vertranius Maurus de jure liberorum cap. 30. Janus à Coſta, Wiſſenbachius, & qui non alii? calculo ſuo approbarunt. Unicus Bachovius ad Treutlerum vol. II. diſp. 6. th. 5. omnes, qui ſic ſentiunt, errare pronunciat, & Papiniani tempeſtate, priſcam illam vocem una cum ritu ſublatam fuiſſe, argumentis in ſpeciem validis, nos credere jubet. Quamobrem pretium operæ fore puto, aliquanto diligentius ea de re hic egiſſe, ne & alii ad eundem ſcopulum impingant. *Manus* Latinis, pariter ac Hebræis & Græcis, pro imperio & poteſtate uſurpatur; unde in manum convenire, eſt in poteſtatem ac familiam mariti tranſire. Symbolum ejus erat dextræ nubentis in dextram mariti à patre facta implicatio: neque enim pars illa corporis præcipua, fidei tantum & amoris teſſera erat, ſed etiam, perinde ac in noſtris copulationibus, tradi-

tionis

tionis vice fungebatur. Virgilius IV. Æneidos v. 103.

- - *Liceat Phrygio servire marito,*
Dotalisque tuæ Tyrios permittere dextræ.

Ubi Servius: *Quasi per manus conjunctionem secundum jus locutus est: quid enim est aliud* dextræ, *quam in manum convenire?* Tribus autem modis uxor in mariti manum conveniebat, farre, usu, & coëmtione. *Farre*, sive confarreatione, cum auguriis rite captatis, & solenni sacrificio Diis nuptialibus facto, conjuges eodem farreo pane, decem testibus præsentibus vescebantur, Ulpianus in Fragmentis *tit. IX.* Dionysius lib. II. n. 26. à quo modo, Judæis etiam recepto, prima initia nostræ benedictionis sacerdotalis sunt repetenda. *Usu*, cum mulier integrum annum apud aliquem matrimonii causa manserat: tum enim nisi trinoctium usurpatum iisset, ut ceteræ res mobiles, anno usucapiebatur. Cicero pro Flacco cap. XXXIV. *In manum convenerat? Nunc audio, sed quæro: Usu an coëmtione?* Deinceps *Coëmptione*, cum vir & mulier, ritu fere omnium populorum communi (cujusque vestigia in nostris arrhis sponsalitiis supersunt) se invicem per æs & libram coëmentes solenne illud carmen, Ubi tu Cajus ego Caja pronuntiabant, simulque

mulque interrogabant, an hæc materfamilias, ille paterfamilias esse vellet. Servius Honoratus videatur ad illud Virgilii lib. I. Georg. vers 31.

Teque sibi generum Thetys emat omnibus undis

Lapis antiquus Patavinus:

PVBL. CLAVD. QVAES.
AER
ANTONINAM. VOLVMNIAM
VIRGINEM
VOLENT. AVSPIC.
E. PARENT. SVIS. COEMIT
ET. IIII. FAC. IN. DOM.
DVXIT

Quæ his modis in manum convenerat mulier, per minimam capitis deminutionem patris potestate solvebatur, vocata materfamilias, omnia sua bona marito afferebat, huic filiæ loco erat, & tanquam sua heres succedebat, sicut vicissim uxori maritus, tanquam heres legitimus; quæ & omnia alia eo spectantia, propediem Dissertatio nostra hujus argumenti, profligatis multis errorum (quod præfiscine dixerim) monstris, ostendet. Hoc loco illud tantum investigari oportet, an Papiniani tempore conventiones illæ adhuc in usu; quod vix affirmandum videtur. Jam enim Tullius loco

allato

allato confarreationem, ut obsoletam, prætermittit, & Tacitus lib. IV. Annalium cap. 16. Tiberii tempore, *omissam confarreandi consuetudinem*, *aut inter paucos retentam* scribit, ejusque rei causas adfert complures. Quod ad *usum* attinet, Jurisconsulti nuspiam liberi hominis, ceu extra commercium positi, usucapionem permittunt: quin ipse Gellius, ubi de usurpatione tractat, lib. III. Noctium Atticarum cap. 2. ad Quinti Mucii tempora ascendit, ejusque observationem *ad disciplinam juris antiqui pertinere* ait explicate. Si vero memoratos effectus, omnibus quidem speciebus communes, à Cicerone tamen & aliis magnam partem ad *coëmtionem* relatos, cum iis, quæ in jure nostro passim tradita sunt, componas, omnino falsi & absurdi apparent. Neque enim mulier nubens in fragmentis Pandectarum capite minuitur; nec exit è potestate patris; promiscue materfamilias appellatur; non nisi expresse omnia bona in dotem constituit; nuspiam mariti filia censetur, nec conjuges sibi invicem, nisi post cognatos, succedunt: ut adeo vel, admisso emblemate Triboniani, fatendum sit, Papinianum ita suo tempore locutum, ut intelligi nollet; vel potius cum Bachovio dicendum videatur, eum proprietatis verborum studiosissimum,

mum, hac ipſa phraſi, in *matrimonium convenire*, indicare voluiſſe, ſe non de matrefamilias, ſed de matrona loqui: *quia idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt, matronam dictam eſſe proprie, quæ in matrimonium cum viro conveniſſet*, verba ſunt Gellii lib. XVIII. cap. 6. Adde quod Plautus *in matrimonium dare*, Cicero *in matrimonium ducere*, Seneca *in matrimonium recipere* dixit: & Arnobius, prorſus ut noſter, lib. II. adverſus Gentes: *Cum in matrimonia convenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum genios invocatis.* Verendum igitur, ne Cujacius, &, qui eum ſequuntur, primæ notæ viri, vulnera hiſce capitibus infligant, ubi medicinam profitentur: perinde ac de Medicis affirmat Seneca, quorum tituli remedia, pyxides venena habent. Non equidem ſecta noſtra patitur, ut tanquam ſpuria temere damnemus, vel Triboniano interpolanti adſcribamus, quæ aliqualem interpretationem recipiunt. Hic tamen magis eſt, ut Cujacio meo aſſentiar; partim quia Papinianus unus ex omnibus more priſco ſcribere affectavit, ut multis exemplis docuimus ſupra: partim, quod ipſe etiam apud Pariatorem Legum Moſaicarum & Romanarum Titulo IV. eadem hac phraſi uſus, quæ unica truculentas Compilatorum manus

evasit: *Occidendi*, inquit, *facultatem lex tribuit eam filiam, quam habet in potestatem, aut eo auctore in manum convenit.* Apulejus item sub Divis Fratribus scribens, lib. VIII. Metamorphos. *At dum herilis puella in boni Tlepolemi manum convenerat.* Gajus quoque & Ulpianus, dum in pretiosis reliquiis, quæ Triboniani manus non sunt expertæ, sæpius ita loquuntur, satis, opinor, illustrant, conventionem in manum, rariorem licet, sua ætate adhuc perdurasse. Certe Tribonianus quantam cum sociis adhibuit diligentiam, uti omnia ejus vestigia deleret, vel invitus tamen, & aliud forte agens, ex veteri illo jure retinuit, nuptias consortium omnis vitæ esse, divini & humani juris communicationem, apud Modestinum in *l.* 1. *D. de Ritu nuptiarum.* Ulpiani quoque distinctionem in uxorem justam & injustam suam facit, in *l.* 13. §. 1. *D. ad Legem Juliam de adulteriis*; Rursus ex eodem, patremfamilias appellari scribit, qui in domo dominium habet, *l.* 195. *D. de Verborum significatione*; quæ totidem rudera conventionis in manum esse, jam ante nos alii viderunt. Quidni etiam Papinianus omnes promiscue nuptias conventiones in manum vocasset, postquam in usum abierat, ut quælibet sponsa dextram conjungeret dextræ? Tertul-

Tertullianus de Virginibus velandis: *Si autem ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mixtæ sunt, per osculum & dextras, per quæ primum resignarunt pudorem.* Claudianus Epithalamio Palladii & Celerinæ:

Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, & his ultro sancit connubia dictis:
Vivite concordes, & nostrum discite munus.

Quid denique est, cur Papinianus maritum absolute dominum appellavit, in *l.* 25. *D. de Usu & usufructu legato*, quemadmodum Illustris Noodtius id observat lib. I. de Usufructu cap. 3. nisi quod ad coëmtionem illam in manum respexit? Audi Servium Honoratum illud Virgilii IV. Æneidos v. 215.

- - - - - - *Connubia nostra*
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.

interpretantem: *Est autem de jure, quasi per coëmtionem.* Mulier quippe coëmta sustinebat conditionem liberæ servitutis, non apud Romanos tantum, sed alios etiam populos moratiores, quibus coëmtio isthæc in usu. Ipsa lex divina & lingua sacra, quæ nomina rebus indidit, maritum *Dominum* vocat; Genes. XVIII. ℣. 12. Eamque imitati Attici, κύριον passim pro marito posuerunt: Unde

çum lis intentaretur uxori, præco clamabat: Η ΔΕΙΝΑ, ΚΑΙ Ο ΚΥΡΙΟΣ. *Ejusmodi mulier accusatur cum Domino suo.* Euripides Medea, ex versione Grotii:

- - - Nihil est femina infelicius
Primum maritus dote magna & splendida
Emendus: hunc necesse dominum corporis
accipere.

Romæ mos idem, ut, præter varia Jurisconsultorum loca, ostendit Inscriptio elegantissima Romæ visa, apud Gruterum pag. 933. 7.

D. M
AVGVSTALI
DOMINO
DVLCISSIMO
CONIVX. FECIT

D. Augustinus etiam Serm. XLV. de diversis, in Proverbia Salomonis, ubi sic ait: *Unaquæque conjux bona maritum suum dominum vocat. Prorsus non solum vocat, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales instrumenta emtionis suæ deputat.* Maritus igitur Dominus fuit uxoris, tanquam ancillæ: sed quæ magis tamen in tutela & potestate mariti erat, quam in vero servitio, ut graviter Valerius apud Livium docet: nec maritos decebat hac imperii specie ad uxorum con-

contumeliam & servitutem abuti; quandoquidem ipse mulierum osor, Cato Censorius, teste Plutarcho, dixit: verberari uxorem non sine sacrilegio posse. Quid? quod ipsæ uxores, *domus sociæ*, *heredes*, familiæ *dominæ* erant, & à maritis vocabantur. Id quod Gulielmus Fornerius lib. I. Selectionum cap. II. ex eadem conventione in manum deducit, multisque testimoniis illustrat Ægidius Menagius Amœnitatum cap. XXV. Ego corruptis Romanorum moribus partem ejus etiam dandam putem, quibus tanta hujus sexus erat superbia, uti se potius dominas, quam maritos dominos dici & haberi vellent. Elegans eam in rem est Mornacii observatio ad *l. 57. D. de Donationibus inter virum & uxorem*, maritos in Juris nostri corpore, ab uxoribus fere tantummodo maritos, has vero passim *dominas*, immo *dominas sanctissimas* vocari à maritis. In eo autem humani aliquid passus est, cum in unico tantum Paulli responso, maritum ab uxore dominum dici asseveravit, quod vel unica *l.* 88. §. 2. *D. de Legatis lib.* 2. refellit. Interim verissimum est, non privatos tantum, sed ipsos etiam Imperatores uxoribus obsequentes fuisse, qui tandem cum domestico imperio publicum amiserunt. Quam non uxorius fuit

 bonus

bonus ille *homo*, in cujus æternum dedecus legitur & legetur elogium hoc apud Gruterum pag. CCCXLIX. n. 2.

D. M
AEMILIO. VA
LERIO. CHORINTHO
HOMINI. BONO
QVI. VIXIT. ANN
XXXX.
DEFVNCTO. HONORIB.
AEDILICIIS
ANTONIA. FRONTONIA
MARITO
OBSEQVENTISSIMO
B. M. F.

§. VII. Antequam hinc discedamus, jucundum erit inquisivisse, quid in studiis Geographicis præstiterit Papinianus, quorum lumen Historico si desit, meræ tenebræ oboriuntur. Me autem tacente unusquisque fatebitur, virum Præfectum Prætorio, & à Principe totius tum cogniti Orbis secundum, omnem Provinciarum divisionem; cunctorum regnorum, rerumpublicarum, regionum, urbium nomina, & intervalla; quicquid ubique marium aut fluminum; quis insularum, montium, silvarum situs; & reliqua ad Geographorum disciplinam pertinentia in numerato habere debuisse.

debuisse. Sine dubio varia hujus doctrinæ specimina quoque dedit in scriptis, quæ nimia nobis Justiniani diligentia invidit. Unicum in præsens, ex iis, quæ reliqua habemus, mihi succurrit, sed pulcherrimum, quod tacito pede præterire nefas duxi. Extat autem libro X. Responsorum in *l.* 37. *D. de Rebus auctoritate judicis possidendis*, his verbis: *Antiochensium Cœle-Syriæ civitati, quod Lege sua privilegium in bonis defuncti debitoris accepit, jus persequendi pignoris durare constitit.* Plures ævo illo erant civitates, ab Antiochis regibus nomen ducentes: Alia erat Antiochia, quæ ad Pisidiam cognominatur, de qua Paullus *l.* 7. §. 10. *D. de Censibus: In Pisidia ejusdem juris* (Italici) *est colonia Antiochensium:* alia Cariæ ad Mæandrum fluvium; alia Ciliciæ super Crago, alia Mesopotomiæ Mygdonia appellata: Sed omnium celeberrima fuit Antiochia Syriæ, ad Orontem fluvium sita; sedes olim regum Macedonici generis, dein Christianis temporibus Ecclesiæ Metropolis, in qua etiam Christi sectatores primum Christiani appellati sunt; unde Θεȣ́πολις, *Dei civitas* in medio ævo cognominata. ut docet Imperator Præfatione Novellæ 109. & Procopius lib. V. de Ædificiis cap. 5. Hanc Papinianus, ad differentiam cetera-

rum ejusdem nominis urbium, quarum plus decem tradit & describit Stephanus, *Syriæ* civitatem vocat, pariter ac in inscriptione Romana apud Gruterum pag. 567. n. 10. C. Vettius Niger se DOMO ANTIOCHIA SYRIA esse profitetur. Nec hoc contentus provinciam *Cœle Syriæ* addit, quia Syria in multas partes: Commagenam, Seleucidem, Phœnicen, & Cœlen Syriam erat distincta, ipsaque Syria Commagene Antiochiam quandam ad Tauri radices habebat, in cujus nummo apud Goltzium pag. 209. ANTIOXEΩN TΩN EΠI TAYPΩ legitur. Hoc amplius adjicit *civitatem*, ne quis Antiochiam, sive Antiochenen, Syriæ regionem, Pomponio & Plinio memoratam, acciperet incautus. At scrupulum nobis injicit Christophorus Cellarius, Vir Cl. & Germaniæ nostræ, dum viveret, ornamentum singulare, quum lib. III. Geographiæ antiquæ cap. 12. Antiochiam, *Syriæ* caput, non in Cœles-Syriæ, sed Seleucidis mediterraneæ provincia collocat. Alii, inter quos Pancirolus Notitia dignitatum Imperii Orientis cap. 67. in Syria Commagena metropolin eam constituunt: id quod si veterum monumentis firmatur, minus excusari potest Papinianus, qui ex ipsa Syria ortum trahebat. Nisi quis eum

de

de civitate *Antiochensium ad Hippum*, Cœles-Syriæ montem, quam ex nummo indicavit Illustris Spanhemius, Orbis Romani cap. XVI. hic interpretari velit. Verum quis Cretes pelagus nescire putet? quis nostrum credat situm Antiochiæ ignorasse? Strabonis forsan ætate illa tantum regio, quæ monte Libano & Antilibano definita, Cœle-Syria proprie fuerit dicta; Plinius vero omnem Syriam mediterraneam Cœlen vocat, atque Apamiam ei includit lib. V. Historiæ naturalis cap. 23. Et Papiniani tempore obtinuisse videtur, uti omnis Syria in duas tantum partes, Syriam Cœle & Syriam Phœnice, quas *Syrias* appellat Ulpianus in *l.* 3. *D. de Censibus*, divideretur. Eunapius sane in Libanio, verbis expressis, Ἀντιόχεια, inquit, ἡ τῆς Κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων. Eustathius item in Dionysium: Ἀντιόχεια ἡ τῆς Κοίλης Συρίας προκαθημένη. De eadem vero Syriæ metropoli Papinianum hic agere, ipsa hujus legis historia evincit. Antiochia quippe, urbs libera *privilegium* persequendi pignoris, sive tacitæ hypothecæ in bonis defuncti creditoris habebat, idque ex *lege* gentis suæ, & more vetusto: quemadmodum Bithynæ & Ponticæ civitates in pecuniis reipublicæ debitis, ex *lege* sua, protopraxiam postu-
 labant,

labant, hoc eſt, ſicut eadem voce, qua noſter, utens Trajanus ad Plinium lib. X. Epipola 109. interpretatur, *privilegium quo ceteris creditoribus anteponantur.* Imperator autem Severus uti aliis urbibus, quod Peſcennii Nigri partes fuerant ſecutæ, libertatis vel αὐτονομίας jura ademerat: ſic *Antiochenſibus iratior fuit, quod & adminiſtrantem ſe in Oriente riſerant, & Nigrum etiam victu juverant; ideoque multa his ademit*, verba ſunt Spartiani in Severo cap. IX. Inter hæc *multa*, quæ ademit, in primis privilegia fuere, quibus Civitas vel ab antiquo, vel ex Principum liberalitate gaviſa erat. Cum igitur quærebatur, an jus etiam pignoris in bonis defuncti debitoris ſublatum eſſet? Papinianus reſpondet: *durare*, quia *lege ſua* hoc privilegium acceperat, hoc eſt *jure vetuſto:* Antoninus etenim Caracalla *Antiochenſibus & Byzantiis interventu ſuo JURA VETUSTA reſtituit: quibus iratus fuit Severus quod Nigrum juverant.* ait idem Spartianus in Caracalla cap. I. Non alia autem Antiochia libera, & fœderata, & *ſuis legibus* utens occurrit, quam quidem metropolis illa: de qua etiam Porphyrius in Excerptis Euſebianis apud Scaligerum: *Pompejus*, inquit, *accepta ab Antiochenſibus pecunia, urbem eorum SUIS LE-*

LEGIBUS reliquit: quam item Malela Antiochensis *Metropolin*, *sacram*, *Inviolabilem*, *Principem*, *Orientis Præsidem*, *suisque legibus utentem* appellat in Chronico lib. IX. pag. 278. Insignes præterea sunt nummi, à Viris Illustrissimis Spanhemio de Præstantia Numismatum, & Norisio in Epocha Syr. Maced. indicati vulgatique, in quibus Antiochenses illud autonomiæ privilegium hac inscriptione vindicarunt: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΙ. *Antiochensium Metropolis & suis legibus.* Neque tamen peccavit Papinianus, quod Metropoleos nomine Antiochiam non honoravit, quippe quæ nunc severe à Severo victore multata & Laodicenis in servitutem adjudicata erat, testante id Herodiano lib. III. cap. 6. Nil etiam vitii habet, quod eam *civitatem*, non vero coloniam dixit: in Caracallæ namque primum, ac aliorum deinceps aliquot Imperatorum vel Augustarum nummis ΜΗΤΡΟΠ. ΚΟΛ. conspicitur: ipseque Paullus testis omni exceptione major est, sub Caracalla demum, mortuo jam Papiniano, vel scripto saltem jam decimo Responsorum libro, eam coloniæ honorem impetrasse: *Divus Antoninus*, inquit, *Antiochenses colonos fecit*, *salvis tributis.* in *l.* 8. §. 5. *D. de Censibus.*

CAPUT

CAPUT VIII.
PAPINIANUS PHILOSOPHUS.

§. I. *Sæculum Papiniani valde philosophicum. Marcus & Severus Philosophi: Julia Domna Philosopha. L. 38. §. 4. D. de Legatis lib. 3. aliter, quam à Wissenbachio explicata.* II. *Ingenio excellenti & acutissimo in omnem Philosophiam penetravit. Ejus Mathematicæ scientiæ specimina duo pulcherrima.* III. *Ex Physicis est, quod ventrem ponit pro utero: an & descriptio hereditatis in l. 50. D. de Hereditatis petitione? Senecæ & Giphanii sententiæ expensæ.* IV. *Dialecticæ fuit peritissimus: à majori ad minus, à toto ad partem, à sensu contrario argumentatur. Plura ad l. 1. D. de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio.* V. *Ethices studium ex variis ejus sententiis probatum, inprimis ex l. 15. D. de Conditionibus institutionum; quæ illustratur.* VI. *Veram non simulatam philosophiam affectavit. L. 8. §. 4. D. de Vacatione & excusatione munerum ex temporis conditione declarata.*

§. I.

§. I.

VIdimus Papinianum Grammaticum, Historicum & Antiquarium: quemadmodum vero nautis solitarium Helenæ sidus non placet, non illi item Philologia. Mollem eam nimis & amœnam existimabat, nisi virili robustaque Philosophiæ disciplina sustentaretur. Hæc enim non omnes inter artes tantum, quas humana ratio comprehendit, principatum tenet, singulisque hominibus commendatissima esse debet, sed futuro etiam Jurisconsulto tam est necessaria, ut qui eam à legum studio sejungit, Solem de rerum natura tollere videatur. Exemplo præivere veteres illi heroës, Rufi, Tuberones, Bruti, Pompeji, nati melioribus annis; qui dies noctesque Philosophis operam dederunt, non ab Edicto Prætoris, nec à XII. Tabulis, sed penitus ex intima Philosophia Juris artem hauriendam putantes. Et aptum his imitandis natum erat sæculum, quo Marcus Antoninus, Princeps cognomento Philosophus, sapientiæ studium cum scriptis & decretorum scientia, tum morum maxime gravitate vitæque continentia primus Imperatorum usurpabat. *Providentissimum principem* eum iccirco appellat noster

in

in *l.* 67. §. *fin. D. de Legatis lib.* 2. *Philosophiæ plenum* & *philosophissimum* Justinianus in *l. pen. C. de His quibus ut indignis*, *l. ult. C. de Repudiis*, *Novella* 22. *cap.* 19. Hinc quoque factum, ut nulla ætas majorem philosophantium proventum extulerit, quam quidem illa, auctore Heriodano lib. I. cap. 2. Solent enim homines vitam Principis plerumque æmulari, ut censuram perpetuam: ad hanc flexibilis quisque in quamcunque partem convertitur, nec tam imperio opus est, quam exemplo. Calcar hoc in studio addebat Severus, ejus condiscipulus & studiorum æmulus, quem *Philosophiæ*, *declamandi*, *cunctis postremo liberalium deditum studiis* laudat Victor Cæsaribus cap. XX. Hujus uxor Julia circumfusam undique Philosophorum coronam secum duxit, atque adeo Philosophiæ fuit studiosa, ut *Philosophæ* nomen optimo jure meruerit apud Philostratum de vitis Sophistarum cap. XXX. ubi: Ἀντωνῖνος δὲ ἦν, ὁ τῆς φιλοσόφου παῖς Ἰουλίας: *Antoninus is erat*, *Juliæ Philosophæ filius.* De eadem Dio Cassius extremo lib. LXXV. Historiarum: φιλοσοφεῖν ἤρξατο, καὶ σοφισταῖς συνημέρευσεν. *Philosophari cœpit: & cum Sophistis dies transigebat.* Multa de hac Menagius Historia mulierum Philosopharum Segm. 16. & sequentibus. Nos autem noviter

viter ex his obſervamus, Philoſophiam hereditarium aliquid in familia Papiniani fuiſſe, cujus ipſæ etiam mulieres philoſophabantur. Hæc celeberrima illa Caracallæ mater eſt, quæ *Julia Domna* in tot nummis & lapidibus litteratis cognominatur: ut jam pridem Scaligero, Triſtano, Spanhemio, Sponio, aliisque eſt notatum. Oppianus opus ſuum Cynegeticôn ei dedicavit, in cujus lib. I. idem cognomen occurrit:

Αὐσονίης Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος, Ἀντωνῖνε
Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

Auſonii Jovis dulce germen, Antonine
Quem magna magno peperit Domna Severo.

Nec enim Δόμνα hic idem eſt quod δέσποινα; ſed nomen proprium, vel potius cognomen: ut Menagius contra Scipionem Gentilem & Rittershuſium recte obſervat Amœnitatum cap. XXV. Vix autem nobis perſuadet Wiſſenbachius Exercit. ad Pandectas parte II. Diſp. 2. θ. 6. eandem eſſe hanc Domnam, quam Cervidius Scævola patruum majorem, Julium Agrippam primipilarem, habuiſſe refert in *l.* 38. §. 4. *D. de Legatis lib.* 3. Siquidem incertum eſt, num Julia noſtra ante mariti Imperium cognomen hoc imperioſum adſciverit, quo Principum conjuges, filiæ & ſorores plerumqne, ut ipſi *Domini Sanctiſſimi*, *Domini*

Auguſti

Augusti nomine superbiebant. Ad Severi autem imperium non pervenit Scævola, & si demus vixisse, honorificentius, opinor, de Principis conjuge locutum oportuit. Deinde Julia Syriam patriam habuit, atque ex urbe Emisa à Severo Romam adducta est, unde minus fit verisimile, patruo ejus Julii Agrippæ nomen prorsus Romanum fuisse. Adde quod, præter Augustas, aliæ quoque matronæ hoc nominis usurparunt. Isidori, Philosophi illius celeberrimi, cujus vitam descripsit Damascius, uxor Δόμνα vocata, ut excerpta vitæ illius apud Photium testantur. Imperatores Diocletianus & Maximianus *Domnæ* rescribunt, in inscriptione *l. 3. C. de Primipilo:* & *Dominæ*, vel per contractionem, *Domnæ* nomina, cum apud Græcos, tum apud Latinos, Syros & Ægyptios Scævolæ tempore usitata fuisse Salmasius ad Spartianum ostendit. Ut ideo nihil quoque causæ habuerit Cujacius, cur lib. III. Observationum cap. 18. nomen *dominæ* hic appellativum esse, vel tanquam glossema abundare, putaret, quod bene animadvertit Menagius loco prius indicato.

§. II. Hac igitur sæculi & familiæ suæ felicitate fretus noster ad Philosophiam animum applicuit, ad quam, vel sine his, insitus sapientiæ amor & ingenii præstantia eum

eum vocabat. Meruit namque, ut inter elogia, quibus ornatus eſt, à Juſtiniano *acutiſſimi vir ingenii*, *&* *merito ante alios excellens*, in l. 30. C. de Fideicommiſſis: à Valeriano & Gallieno *excelſi ingenii* in l. 6. C. de Inſtitutionibus & ſubſtitutionibus: rurſus *ſummi ingenii vir* à Juſtiniano in l. 14. C. de ſententiis & interlocutionibus, & l. 2. §. 6. C. de Veteri jure enucleando appellaretur. Atque benigna hac ingenii vena celerique animi motu inſtructus, totam brevi Philoſophiæ rationem, ſive naturam ſcrutetur, ſive argumentationes componat, ſive animum emendet; omnes ſcilicet, quæ Philoſophiæ tribuuntur, partes, naturalem, rationalem & moralem, animo complexus eſt. Paucis id datum, in ultima præſertim hac temporum ſenecta: aſt illi pervia cuncta, ſimul ac velle cœperat; & terræ quemadmodum variis mutatisque ſeminibus fiunt meliores, ſic ille nunc hac, nunc illa meditatione mentem recolebat; ratus artem brevem eſſe, vitam ſat longam, ſi tota bene impendatur. Refert Spartianus, plus uno loco, Severum, Papiniani commilitonem, matheſeos peritiſſimum fuiſſe, etiam infamatæ illius, quæ ex aſtris & fallaci hominum geneſi futurorum notitiam profitebatur. Non tamen puto Æmilium ſeſe hiſce

ineptiis immiſcuiſſe, quæ compluribus Senatusconſultis ac principalibus Edictis Urbe Italiaque erant ſummotæ. Quin vero honeſtas Mathematicorum diſciplinas, Aſtrologiam, Arithmeticam & Geometriam perdidicerit, equidem nullus dubito. Neque enim ad oratoriam & militarem tantum ſcientiam horum ſtudia ingredienda erant; verum propter ipſam quoque juris artem, cujus multæ quæſtiones de terminis, menſuris, finibus, ſummis & computationibus, facili ſic negotio in judiciis familiæ erciſcundæ & communi dividundo ſolvuntur, quarum difficilior alia ratione explicatio eſt. Ex Plutarchi Alcibiade & Vitruvio lib. IX. cap. 3. exempla attulit Duarenus in Scævola, ſive ad l. 122. D. de Verborum Obligationibus; alii alia: ſed non eſt cur ea aliunde petamus. Ipſe noſter ſpecimina ejus duo egregia dedit; alterum de fructibus fundi dotalis dividundis in *l. 7. D. Soluto matrimonio dos quemadmodum repetatur*, alterum de parte fundi evicta in *l. 64. D. de Evictionibus.* In quibus capitibus explicandis certatim Doctores, tam veteres, quam recentiores ſuis ſe pupugerunt argutiis, & plane certi, quod afferant, nihil habent; quia hæc fundi noſtri eſt calamitas, uti matheſis ab omnibus fere negligatur. Varias

rias variorum dictæ *l.* 7. ſupputationes indicarunt Treutlerus parte 2. Diſp. 7. th. 12. Hilligerus ad Donellum lib. 14. c. 7. & plenius Johannes Dominicus Martucius lib. 2. variarum explanationum cap. 71. Quid mirum! Paullus Caſtrenſis iniquitatis aperte Papinianum arguere non erubuit; & Johannes Antonius Leſcurius eam *damnatarum* numero habet, quæ, quia nolunt intelligi, non intelliguntur. In primis Cujacius adeundus ad Pauli ſententias lib. II. tit. 22. & IV. Feudorum 30. & II. Notatorum Mercatoris 9. & lib. XIV. Obſervationum cap. 22. ubi ſententiam ſuam claudit verbis, quæ ſequuntur: *Hæc eſt ſententia Papiniani & verba ſunt clara: nec eſt, quod eam mutemus vel cavillemur, ut qui prudentiores Papiniano videri volunt, partim eam cavillantur, partim mutant male atque corrumpunt. Conſulantur mathematici. Reſpondebunt nihil eſſe æquius diſtributione Papiniani. Eſt Joh. Buteo doctiſſimus mathematicus, qui in ſuis libris eam fortiter defendit adverſus Accurſium & Alciatum, nec ſibi temperat, quin ſtomachetur & ingerat convitia utique motus opinionum ineptitudine. Servat Papinianus proportionem Geometricam, quæ in diſtributionibus ſervari debet.* Altera *l.* 64. non minus torſit interpretes,

quia fundamentum, in quod omnes ſpecies ibi occurrentes reſolvuntur, non attendere. Ut enim Bartolum, Mangilium, Guzmannum & ejus farinæ alios prætercam, Carolus Molinæus in extricatione labyrinthi numeris 115. 116. 117. ingenioſam Papiniani perſpicacitatem propoſita tabula oſtendere annifus eſt. Franciſcus Balduinus in libro ſingulari ad hanc legem, librarii lapſum in numeris, & eorum notis accuſat. Cujacius vero lib. XXVI. Obſervationum cap. 37. ſervata lectione per voces CC. *evincantur* quintam intelligit mille jugerum, at quartam eorundem facit CCL. Verum Chriſtfriedus Wæchtlerus, Vir Cl. in recitationibus ſingularum legum tituli de Evictionibus, noviſſime monuit, partes quartam & quintam reapſe diverſas non eſſe, ſed ejusdem quantitatis, nimirum CC. jugerum; diſtingui autem modo conſiderandi: In ordine ad M. quintam eſſe CC. in ordine ad DCCC, quartam ſimiliter eſſe ducentorum: Cui aſſentior. Sed pro excuſatione ceterorum ſit, quod Cicero 1. de Oratore ait, Mathematicos magna in obſcuritate rerum, & recondita in arte, ac multiplici ſubtilique verſari.

§. III. Cum matheſi Phyſiologiam ſine dubio, ex Panætii & Poſidonii doctrina, ſtatim

ſtatim conjunxit Papinianus, tanquam jucundam & ſcitu neceſſariam: neque enim mentem ſolum abducit à vano metu & admiratione rerum; ſed totius etiam naturæ ſinum offert, atque cœlum, terras, ignem, aquas, aëra, cum omnibus, quæ in iis mira ſunt, liberali manu expandit. Ibi Deum hominemque mundi incola agnoſcit, ipſe tot operum pulcherrimorum inſpector & enarrator à Deo creatus. Atque hæc fuit Sexti Ælii, Publii Craſſi, T. Coruncani, Manii Manilii & Scipionis, hominum prudentiſſimorum quondam ſapientia, ad quos in transverſo foro ambulantes, vel in ſolio ſedentes ſic adibatur, non ſolùm ut de Jure Civili, verum etiam de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique negotio ad eos referretur. Si ad recentiores oculos convertas, plura hujus diſciplinæ, fateor, veſtigia in ſcriptis Ulpiani & Pauli, quam noſtri, ſaltem iis, quæ reliqua habemus, inveniuntur: ſed tamen huc pertinet omnino, quod uterum, quem mulier geſtat, & quod in utero eſt *ventrem* appellat. Sic in *l.* 84. *D. de Acquirenda vel omittenda hereditate* jam *ventrem plenum*, jam *vacuum* nominat prægnantis, & *ventrem ancillæ* dixit in *l.* 9. *D. ad Legem Falcidiam.* Phyſicis videlicet & Medicis non ſolus ſtoma-

 chus

chus ventriculusve venter audit proprie, ſed omnis illa animalis cavitas, in qua primaria recondi poſſunt viſcera, quidni etiam fœtus? Inde Iſchomacho jocus quæſitus, apud Athenæum lib. X. qui mendicam torminibus vexatam percontanti Medico, μὴ ἐν γαστρὶ ἔχῃ, *num in ventre haberet?* regeſſit: Πῶς γε, τριταῖα μὴ βεβρωκυῖα; *qui poteſt, quæ triduo toto nihil guſtaverit.* De fœtu ille quærebat, hic de cibo reſpondit. Varro lib. II. de Re ruſtica cap. 4. *Scrofa*, ait, *quaternis menſibus fert ventrem, binis nutricat.* & Columella lib. VI. cap. 24. de vaccis gravidis *perferre ventrem* dixit. Horatius ad Canidiam Epod. 17.

Tuusque venter partum ejus: & tuo
Cruore rubros obſtetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exſilis puerpera.

Illuſtravi, niſi fallor, elegans loquendi genus à Phyſicis petitum. Neſcio autem an ex horum ſcholis fluxerit, quod Papinianus jus hereditatis à corpore diſtinguit in *l.* 50. *D. de Hereditatis petitione*, his verbis: *Hereditas etiam ſine ullo corpore juris intellectum habet.* Affirmat hoc Hubertus Giphanius ad titulum Inſtitutionum 2. lib. II. vereor autem, ut Phyſici quicquam de rebus, quæ in jure conſiſtunt, vel Juriſconſulti de ſpiritibus, quos iſti per res incorporeas intelligebant.

ligebant. Non me fugit, Stoicorum hanc divisionem fuisse, vel uno Seneca auctore, *Quod est*, inquit, *in has species divido, ut sint corporalia, aut incorporalia. Nihil tertium est*. Epistola LVIII. At Sextus Empiricus lib. VII. adversus Mathematicos nos docet, aliam longe incorporearum rerum apud eos institutionem esse; quia quatuor earum species vacuum, locum, tempus, enunciatum, & si quid tale est, enumerabant: quæ toto cœlo differunt à juribus usucapionis, tutelæ, agnationis, ususfructus & hereditatis mente Jurisconsultorum comprehensis. Unde vel satis colligitur, nullatenus Papinianum ceterosque juris auctores in explicandis suis rebus incorporalibus Stoicorum Physicam usurpasse, quod præter Giphanium Jacobus quoque Oiselius in notis ad lib. II. Institutionum Caji tit. 1. existimabat. Ipse Seneca, in quo proram & puppim sententiæ suæ collocant, aperte hos refellit lib. VI. de beneficiis cap. 5. ubi discrimen illud hereditatis & rerum, quæ in hereditate sunt, inter *acutas Jurisconsultorum ineptias* refert: nequaquam id facturus, si è Porticu illud ivissent petitum. Senecam excusat Lipsius in notis, sed ingeniosius post Muretum Lyclama III. Membranarum Eccloga 19. observat,

ſervat, Liberalem diſcipulum loquentem induci, qui, ut homo, neque in Jure civili, neque in Philoſophia valde exercitatus, hanc diſtinctionem, ut nimis ſubtilem & in verbis, ut putabat, poſitam rejiciebat. Nihilominus Petrum Fabrum ad l. 62. de Regulis Juris male habet, à Philoſopho deriſos fuiſſe Jurisconſultos, quos hac in re, atque in omnium juris verborum definitionibus tradendis Platonicos ſequutos opinatur. Quid ſi nos dicamus propriam Jurisconſultis fere fuiſſe Phyſicam; quia Stoicos, præceptores ſuos, rerum naturalium rudes, ſæpius impegiſſe uſu didicerant; nam & topica fere propria in arte ſua utebantur, quod Cicero in Topicis ad Trebatium Jurisconſultum oſtendit.

§. IV. Jam vero diligentius rationis regendæ & mentis emendandæ diſciplina, quam Logicen appellant, excolenda erat futuro Jurisconſulto, qui ſua prudentia & judicio non modo privatorum fortunas, ſed publicam ſalutem gubernaturus erat. Omnium quidem diſciplinarum inſtrumentum eſt Dialectica, ſed in Jurisprudentia uſus ejus quam maxime ſeſe exſerit: Sive enim Jurisconſultus de apicibus artis ſuæ diſputet, ſive docendo, orando, cavendo & reſpondendo jus interpretetur, ad hanc velut

ſacram

ſacram anchoram ipſi recurrendum eſt. Et ſane, ſi quid conjicere valeo, Servium Sulpitium ſibi hic ad imitandum propoſuit noſter, quem M. Tullius teſtatur, Jurisprudentiæ principatum hujus unius artis præſidio adeptum fuiſſe, cumque aliis Jurisconſultis uſum juris tribuat, illi uni artem concedit; qua laude haud ſcio an ullus eorum, qui Servium exceperunt, magis, quam noſter, ſit honorandus. Neque enim quid de quaque re juris ſit τὸ ὅτι; ſed etiam qua de cauſſa quidque juris ſit, hoc eſt τὸ διότι ubivis animadvertit, res univerſas diſtribuit in partes, latentes explicat definiendo, obſcuras explanat interpretando, ambiguas primum diſtinguit, tum quid cuique conſentaneum, quid repugnans ſit cognoſcit. Hinc frequens locorum uſus in ejus ſcriptis, à cauſa efficiente & finali, à comparatis, à toto ad partem, à ſimilibus, à contrario, & centum aliorum, quos recitare fugimus, quoniam alia meditamur, curſimque iſtæc peragere animus eſt. Pauca tamen hæc locorum jam laudatorum exempla in gratiam tironum adſcribo. In omni fere jure, ait, finita patris adoptivi poteſtate, nullum ex priſtino retinetur veſtigium: denique & patria dignitas quæſita per adoptionem, finita ea, deponitur, in *l.* 13. *D. de Adoptio-*

nibus. Debitore liberato per consequentias fidejussor dimittitur, *l.* 19. *in fin. D. de Dolo malo.* Qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit jure adficere, *l.* 22. §. 3. *D. Ad legem Juliam de adulteriis*. Cujus famæ, multo magis vitæ parcendum est *l.* 38. §. 9. *D. Titulo eodem*. Servus in opus publicum perpetuum, ac multo magis (id est minus) in temporarium non datur *l.* 34. *D. de Pœnis*. Cui pacto venditoris pomœrio cujuslibet civitatis interdictum est, urbe etiam interdictum esse videtur. Quod quidem alias cum Principum mandatis præciperetur, etiam naturalem habet intellectum: ne scilicet, qui careret minoribus, fruatur majoribus *l.* 5. *D. de Servis exportandis*. Sic speciem difficiliorem assumit ad probationem rei minus difficilis in *l.* 36. *D. de Servitutibus prædiorum urbanorum*. Sic argumenta ducit à pupilla ad feminam provincialem, in *l.* 63. *D. de Ritu nuptiarum*, ab eadem ad rempublicam, *l.* 78. §. 2. *D. de Legatis lib.* 2. à jure vendendi ad jus pignorandi, *l.* 11. *in fine D. de Pignoribus*, ab adulterio ad incestum, *l. ult. D. ad Legem Juliam de adulteriis*. Non enim poterant omnes articuli singillatim aut Legibus aut Senatusconsultis comprehendi, igitur si in aliqua causa sententia

ſententia eorum manifeſta erat, ad ſimilia procedendum fuit. Illud vero criminabuntur Dialecticorum filii, quod argumentum à ſenſu contrario *fortiſſimum* appellavit in *l.* 1. *D. de Officio ejus cui mandata eſt jurisdictio.* quod tamen lubricum eſſe, & plerumque extra ſcriptoris mentem, pulcherrimis exemplis nos docuit Erudituiſſimus Noodtius in Julio Paullo cap. VII. Non dicam cum Alciato lib. IV. de Verborum ſignificatione cap. 10. & Bachovio ad primam partem Pandectarum pag. 425. per auxeſin & hyperbolen quandam Papinianum hic locutum: nec enim à contrario, ſed ab exceptione argumentum ſumit, quod in generalibus, ſeu veris Legibus fortiſſimum recte appellatur, utpote cum vulgo etiam dici ſoleat: Exceptionem firmare regulam in caſibus non exceptis, & Cicero pro Balbo, *Si exceptio facit, ne liceat, ibi neceſſe eſt licere, ubi non eſt exceptio:* quod in propoſita ſpecie invertendum erat. Eundem in modum ratiocinatur Ulpianus in *l.* 20. §. 6. *D. Qui teſtamenta facere poſſunt* & ipſe Papinianus Titulo IV. Collationis legum Moſaicarum hiſce verbis: *Numquid ex contrario præſtat nobis argumentum hæc adjectio, ut non videatur lex non habenti dediſſe, ut videatur majore æquitate ductus adulterum occidiſſe,*

occidisse, cum nec filiæ pepercerit. A contrario autem argumentum ducit idem in *l.* 26. §. 2. *D. de Pactis dotalibus. Cum*, inquit, *inter patrem & generum convenit, ut in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur, id actum inter contrahentes intelligi debet, ut liberis superstitibus filia defuncta dos retineatur.*

§. V. Venimus ad Papiniani peritiam Philosophiæ moralis, de qua præstat tacere, quam pauca dicere. Vana ipsi videbatur Physica, vana Dialectica, nisi utraque respiciat Ethicam, & animo nostro noscendo, hominumque moribus instruendis deserviat. Hæc est germana illa Jurisprudentiæ soror, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quæ, ut sub Crassi persona verissime dixit Cicero, eosdem habet fontes, qui Legibus & Jure Civili continentur. Age enim Responsa Papiniani considera, ac diligentiore cura in eorum rationes inquire, ex media Philosophia petita deprehendes: usque adeo ubivis æquitatem, moderationem ac φιλανθρωπίαν spirant, & quæ ad formandos hominum mores, atque rempublicam feliciter administrandam faciunt, complectuntur. Id quo fiat manifestius, paucas & tantum non Christianas sententias ex ejus fragmentis delibandas existimo. Ex ungue

leonem.

leonem. Juſtinianus in *l.* 35. *C. de Inofficioſo teſtamento* laudat hoc ejus Reſponſum: Meritis magis filios ad paterna obſequia provocandos, quam pactionibus adſtringendos. Ipſe in *l.* 7. §. 1. *D. Unde liberi.* Non ſic, ait, parentibus liberorum, ut liberis parentium debetur hereditas. Parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit, liberos naturæ ſimul & parentium commune votum. In *l.* 22. §. 4. *D. Ad Legem Juliam de adulteriis:* Plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. In *l.* 6. *D. de Servis exportandis:* Viro bono non convenit credere, venditoris intereſſe, quod animo ſævientis ſatisfactum non fuiſſet. In *l.* 74. *de Regulis Juris:* Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. In *l.* 66. *D. de Condictione indebiti:* Hæc condictio ex bono & æquo introducta, quod alterius apud alterum ſine cauſa deprehenditur, revocare conſuevit. In *l.* 43. *D. de Religioſis & ſumtibus funerum:* Summam eſſe rationem, quæ pro religione facit. In *l.* 17. *D. de Injuſto, rupto, irrito teſtamento:* Licet ſubtilitas juris refragari videtur, attamen voluntas teſtatoris ex æquo tuebitur. In *l.* 72. §. 1. *D. de Conditionibus & demonſtrationibus:* Periculoſum ac triſte eſt, libertum conjunctum patroni liberis eorundem

mortem

mortem exſpectare. In *l.* 39. §. 1. *D. de Administratione & periculo tutorum:* Satis abundeque ſufficit, vel in una ſpecie per amici laborem domino conſuli. Et ſtatim in *l. ſequenti* 40. Privilegium militum ad alienam injuriam porrigi non oportet. Sexcenta id genus alia ſunt, ſed malo vitare ſatietatem. Hoc autem proprium ejus quaſi ſymbolum & capitalis ſententia fuit: *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt: nec facere nos poſſe credendum eſt*, in *l.* 15. *D. de Conditionibus inſtitutionum.* Digna profecto, in quam jusjurandum præſtent Juris Studioſi, quam audiant, obſervent & collo ſuo alligent omnes Chriſtiani. Illud enim vult Juriſconſultus, quæ honeſte fieri non poſſunt, moraliter impoſſibilia haberi: multa licere quidem, & extra publicas legum tabulas eſſe, veluti concubinatus, meretricia vita, fenus, id genus alia; ſed majorem honeſtatis & verecundiæ rationem habendam; quia anguſta innocentia eſt, ad Leges bonum eſſe. Atque eundem tenorem, ut in omni vita, ſic & in ſcriptis obſervat; ubique hanc regulam in teſtamentis, pactis & ſtipulationibus late extendens, quod ea parte perniciofe errari non poſſe, intelligebat. Nunc

enim

enim *pietatem*, graviſſimum illud & ſanctiſſimum nomen, inculcat in *l. ult. D. Familiæ erciſcundæ l.* 19. *Quæ in fraudem creditorum*, *l. ult. Si quis à parente manumiſſus.* Nunc Judicem inſtruit, ut *verecundiæ*, quam omnium virtutum cuſtodem vocat Cicero, rationem habeat, *l.* 31. §. 1. *D. de Donationibus*, *l.* 6. *D. de Servis exportandis*, *l.* 41. *D. de Operis libertorum*, *l.* 8. *D. de Alimentis & cibariis legatis.* Nunc, quæ *contra bonos mores* facta pactave ſunt damnat & rata non habet in *l.* 7. *D. Mandati*, *l.* 123. *D. de Verborum obligationibus*, *l.* 29. §. 2. *D. de Donationibus.* Et repetitis iisdem fere noſtræ legis verbis in *l.* 5. *D. de Uſuris:* Generaliter, ait, obſervari convenit, bonæ fidei judicium non recipere præſtationem, quæ contra bonos mores deſideretur. Iterum in *l.* 53. *D. Pro ſocio:* Quod ex furto, vel ex alio maleficio quæſitum eſt, in ſocietatem non oportere conferri palam eſt: quia delictorum turpis atque fœda communio eſt.

- - *Petite hinc juveneſque ſeneſque*
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.

§. VI. Quod ſatis eſt oſtendimus Papinianum Philoſophum fuiſſe. At quoniam non alia vitæ ſecta longius à civilibus officiis

ciis atque ab omni Reipublicæ munere recessit, supereſt videamus, veram an ſimulatam Philoſophiam fuerit ſectatus. *Veram* appello, quæ ad negotia, & vitam civilem transfertur: *Simulatam*, quæ in verbis & argutis contemplationibus conſumitur. Ita Cicero lib. XV. Epiſt. 4. ad Catonem: *Soli propemodum nos Philoſophiam illam VERAM & antiquam, quæ quibusdam otii eſſe ac deſidiæ videtur, in forum, atque in rempublicam, atque in ipſam aciem pæne deduximus.* Jam vero, ſi Ulpiano credimus, Juſtitiæ Sacerdotes vere Philoſophos agere, dum boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo ſeparant, nec ſolum pœnarum metu, verum etiam præmiorum exhortatione bonos efficere conantur; princeps merito locus Papiniano hos inter tribuendus erit, qui ipſis rerum experimentis virum vere civilem exhibuit, atque in ſummis Populi Romani tribunalibus tractavit leges, inſtituta ac mores majorum, ſola virtute ad ſummum honorum culmen per gradus evectus. Quemadmodum enim in lampadem ſi parum inſtillatur olei, ſatis alimenti habet ignis: ſin juſto largius infunditur, etiam, quæ in ea eſt, flamma extinguitur: Sic ille nimis anxiam ſubtilemque in Philoſophia diſputationem vitavit

tavit cautus. Non ſane in lineis menſurandis, aut angulorum proportionibus examinandis totus eſt verſatus; nec de motu, quiete, vel inani multum diſſeruit; neque etiam diſputationum ſuarum laqueis alios irretire tentavit: ſed totam Philoſophiam ad commoda publica & totius imperii neceſſitatem accomodando, ejus ope regulas optimas, quæ ad conſtituendam, regendam & conſervandam Rempublicam faciunt, præſcripſit. Ipſe, quam induſtrius fuerit, ſatis profitetur, quando in *l.* 78. §. 2. *D. de Legatis lib.* 2. ſtatuit: *Ignaviam prætendentes audiri non oportere.* Sed magis huc pertinet elegans illa philoſophantium deſcriptio, ab Æmilio noſtro in *l.* 8. §. 4. *D. de Vacatione & excuſatione munerum* hiſce verbis profecta: *Philoſophis, qui ſe frequentes atque utiles per eandem ſtudiorum ſectam contendentibus præbent, tutelas, item munera ſordida corporalia remitti placuit: non ea, quæ ſumtibus expediuntur: etenim vere philoſophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam adſeverationem detegunt.* Locus profecto dignus, ad quem pauliſper ſubſiſtamus. Philoſophis dari vacationem à muneribus ait *placuiſſe*, ſcilicet Divis retro Principibus, Veſpaſiano primum & Hadriano, qui *Philoſophis civilium numerum,*

& ne hospitem reciperent, immunitatem indulserunt, l. 18. §. fin. D. de Muneribus: Hujus filius adoptivus, & in imperio successor, Antoninus Pius, singula ab optimo parente data beneficia, oratione vel Edicto, ad communitatem quidem Asiæ scripto, sed orbi universo conveniente, confirmavit, *l. 6. §. 2. & 8. D. de Excusationibus, l. 4. C. de Professoribus.* Atque hucusque Philosophi, saltem qui mediocrium facultatum (ut bonæ mentis soror paupertas esse solet) munerum non tantum personalium & sordidorum, sed patrimonialium etiam vacationem habuisse videntur, *quia rari erant, qui philosophabantur*, ait Modestinus in *l. 6. §. 7. D. de Excusationibus.* Quum vero Marcus Antoninus Philosophus imperio præesset, ingens philosophantium proventus emersit, quorum plerique, ut se ipsos Principis genio conciliarent, barbæ palliique habitum ementiebantur, lucra & ἀπὶλειαν tantum captantes, homines, nulli rei bonæ, mera mendicabula &, ut ajebat Pacuvius, ignava opera sed philosopha sententia. Auctor est Xiphilinus in vita Marci: *Ex quo factum est, ut magna hominum multitudo philosophari simulaverit, ut ab eo locupletaretur.* Capitolinus in eodem cap. XXIII.: *Fama fuit sane,*

quod

quod sub Philosophorum specie, quidam & Rempublicam vexarent & privatos; quod ille purgavit. Verisimile igitur est, non Marcum modo sua ætate, sed severius postea Severum & Antoninum immunitatis illum favorem nimium & Reip. noxium restrinxisse; uti munera corporalia tantum & sordida illis remitterentur, qui frequentes & utiles discentibus sese præbebant, quique ex suis in patria scholis, velut ex urbe fecunda, multos ac præclaros emittebant colonos. Sophistæ vero, quæstus tantum causa philosophantes, & vitio avaritiæ, quod insequebantur, obnoxii, odio magis quam favore prosequendi. *Qui enim proprie loquuntur de sumtuum examine, inde jam manifesto fiunt non philosophantes*, ait Modestinus in *d. l.* 6. §. 7. & Ulpianus: *Hoc primum profiteri Philosophos oportet, mercenariam operam spernere*, in *l.* 1. §. 4. *D. de Extraordinariis cognitionibus.* Seneca de beneficiis II. cap. 17. *Est intolerabilis res, poscere nummos & contemnere. Indixisti pecuniæ odium: hoc professus es: hanc personam induisti: agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere.* Quid igitur, dicat aliquis? Nullamne sibi gratiam mercedis referri patientur Philosophi? Ergone cicadæ sunt, qui rore pascantur,

 aut

aut manucodiatæ, qui alantur aëre? Minime. Avaritiam tantum & habendi cupidinem Papinianus damnat eorum, qui patrimonii sui onera, Philosophiæ prætextu, sed revera nimio pecuniæ studio, detrectabant. Quo modo avaritiæ labem à Philosophis etiam abesse jubent Diocletianus & Maximianus in *l. 6. C. de Muneribus patrimoniorum*, nec non Valentinianus & Valens in *l. 8. C. de Professoribus.* Ceterum ex Luciano, Athenæo & Juvenale constat, lautis stipendiis, tam publicis quam privatis, in Græcia & Romæ conductos Philosophiæ Doctores, quo magis erudiendæ juventuti vacarent.

CAPUT IX.

PAPINIANUS STOICUS.

§. I. *Stoicam sectam secutus, quia sub imperio Marci Philosophiæ operam dedit.* II. *Hinc allusionum fuit studiosus, cujus exempla ex l. 6. §. 1. ad Legem Juliam de adulteriis & l. 58. §. 6. ad SCtum Trebell. illustrantur.* III. *Cum Stoicis nomen ab appellatione distinguit: brevis est in stilo, & regularum artifex.* IV. *Partus*

Partus nondum editus homo non est; editus non censetur in fructu. V. *In l. 6. & 7. D. de Servis exportandis quatuor hujus disciplinæ vestigia indicata.* VI. Αὐτοχειρία *nec improbata, nec punita: quid sit facti sceleritas, in l. 3. D. de Bonis eorum. Impubes ratione caret; nihil scit, omnia ignorat.* VII. *Cur modestius faciat, qui jusjurandum refert? l. 25. §. 1. D. de Constituta pecunia illustratur. Usuræ natura non proveniunt. Summus favor religionis. Papiniani libertas & mortis contemtus.*

§. I.

HIc vero Paganini Gaudentii manes adesse velim, qui in erudito suo tractatu de Philosophia apud Romanos cap. XLIII. negare ausus est, Jurisprudentes ad Stoicorum doctrinam ingenium appulisse. Quam vellem etiam oculos hic intenderent vulgus interpretum, quotquot veneranda illa Juris Romani Oracula ex lacunis Ethicæ Aristotelicæ illustrare conantur. Quam frustra autem hi sint, jam olim docuerunt Cujacius, Merillius, Malquytius, Galvanus, & vel unicus Papinianus noster id ostendet. Non hic repetam generalia, quæ hanc in rem nuper

in sermone inaugurali conduxi momenta: qui volueris ea ibi legat; & brevi fortassis integrum ejus argumenti, quod jam dudum meditor, opus prodibit. Illud verissimum, plerosque Romanorum Stoicis se mancipasse, *quod nulla secta benignior leniorque fuit, nulla amantior hominum & communibus bonis attentior: propositum ipsi, usui esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque*, verba sunt Senecæ lib. II. de Clementia cap. 5. Cui, ne testem in propria causa adduxisse videamur, accedat Cicero lib. IV. Tusculanarum Quæstionum cap. 24. *Licet insectemur Stoicos, ut Carneades solebat, metuo ne soli Philosophi sint.* Ad Papinianum quod attinet, non equidem, si munera & honores ejus inspiciamus, illam Peripateticæ Philosophiæ partem, quæ ad rerumpublicarum rectionem relata est, neglexisse videtur: Academicos quoque politicos Philosophos olim appellatos, & fuisse, Cicero refert; singularis autem hæc valde circumstantia notanda est, cecidisse adolescentiam ejus in illa tempora, quibus Marcus Antoninus imperii habenas tenebat. Evenit igitur, quod sub aliis Principibus evenire solet, ut non modo plurimi Philosophiam, sed Stoicam quoque, tota animi contentione sectarentur, ad gratiam scilicet illius

illius & favorem promerendum. Aperte scribit Sextus Empiricus lib. 1. de Philosoph. sub Antonino plures fuisse, qui Stoicam, quam aliam quamcunque disciplinam sequerentur. Spartianus quoque in vita Getæ cap. II. auctor est, Severum Marci Philosophiam imitatum esse. Eandem imitabatur Scævola, Papiniani præceptor; eadem placebat Ulpiano & Paullo, ejus assessoribus; rursus Marcianum & Tryphoninum, discipulos Papiniani, constat Stoicos fuisse. Videatur Joannes Ramos de pœna parricidii lib. VII. num. 130.

§. II. Exemplis res fiet illustrior. Stoici anxiam quam maxime curam habebant verborum, ipsique, Grammaticis quasi invidentes, nimis studiose inquirebant, verba unde sint dicta, quo planius rerum naturam cognoscerent & proprietatem. In Zenone hunc morbum damnat Seneca; in omnibus ejus sectatoribus Plutarchus, Galenus & alii. Chrysippum in primis magnam molestiam suscepisse, reddere rationem omnium vocabulorum, auctor est Cicero; eumque varios Ἐτυμολογικῶν libros scripsisse, tradit Laërtius. In hoc autem Papinianus Stoicos est imitatus, dum ita orationem suam subinde temperat, ut simul aperte vel tacite ad vocis originem alludat. Sic *ad-*

ulter & adultera apud Festum dicuntur, quod ille *ad alteram*, & hæc *ad alterum* sese conferunt, proprioque conjugio relicto, corpus appetunt alienum. Consimiliter Papinianus in *l. 6. §. 1. D. ad Legem Juliam de adulteriis: Sed proprie*, inquit, *adulterium in nupta committitur, propter partum EX ALTERO, conceptum.* Hactenus recte! & *partus* mentionem fecit, ad indicandum, solam mulierem adulteram esse, quæ habet alium; maritum vero, si cum soluta congrediatur, hujus criminis non esse reum. Quod autem addit: *composito nomine*, nescio quo pertineat, cum nullum vocis *partus* in adulterii vocabulo vestigium reperiatur. In verbis sequentibus: *Stuprum vero in virginem viduamve committitur, quod Græci φθορὰν appellant*, rursus vocis hujus etymon latet: Quemadmodum enim Græcis φθορὰ idem est, quod fœditas & corruptio; sic *stuprum* antiquis dedecus significabat & turpitudinem, nec corporis modo, sed & famæ notam. Neleus in carmine: *Fœde stupreque castigor cottidie.* Et Nævius apud Festum:

- - - *Sesque ii perire mavolunt*
Ibidem, quam redire cum stupro ad suos
Populares.

Sic quando in *l. 58. §. 6. D. ad Senatuscon-*
sultum

ſultum Trebellianum ait: *Uſuræ propter USUM medii temporis perceptæ non videbuntur:* indicat, quod res eſt, uſuras ab uſu dici, quia creditori ſolvuntur pro uſu ſortis. Varro lib. IV. de Lingua Latina: *Ex uſu uſura dicta; ut ſors, quod ſuum ſit ſorte.* Iſidorus lib. V. Originum cap. 35. *Uſura eſt incrementum fœnoris ab uſu æris alieni.*

§. III. Porro Stoici nomen & appellationem diſtinguebant, teſte Priſciano lib. II. pag. 574. editionis Putſchii: qui præeuntem habuit Quintilianum lib. I. cap. 4: *Paulatim*, ait, *à Philoſophis, ac maxime Stoicis, auctus eſt numerus (partium orationis) ac primum conjunctionibus articuli adjecti, poſt, præpoſitiones: nominibus appellatio.* Nomen iis erat, quo homo propria diſcriminatione pronunciatur, ut iſte Cato, hic Brutus: Appellatio vero, eſt communis ſimilium rerum enunciatio, ſpecie nominis, ut homo, vir, femina &c. Idem vero diſcrimen ſuggerit Papinianus in *l.* 24. *D. ad Senatusconſultum Trebellianum*, verbis ſequentibus: *Nonnunquam autem ex voluntate varie reſcriptum & judicatum eſt: videlicet, ſi non ſub appellatione heredum, ſed propriis nominibus expreſſis fideicommiſſum relinquatur.* Aliter Varro lib. VII. de L. L. & Pomponius in *l.* 37. *D. de Stipulationibus ſervorum,*

rum, qui appellandi partes *nomina* faciunt & *vocabula*; aliis *vocabulum* tertium genus fuit, qua de re alibi curatius. Illud præterea Stoam redolet, quod noster in stilo brevitatem & verba exquisita adamavit, ut supra exemplis demonstratum pag. 64. Nam Cicero scribit: *Omnes fere Stoici prudentissimi in disserendo sunt, & id arte faciunt, suntque architecti pæne verborum.* Ipse Zeno, objicienti brevia esse dicta ejus: Omnino, respondit: nam syllabas Philosophorum, si id posset, breves esse optem. Solebant etiam Stoici crebro monere discipulos, summa doctrinarum capita memoriæ infigenda esse, quo omni data occasione usurpari possint; quem in finem celeberrimum illud Epicteti Enchiridion conscriptum. Idem movit nostrum, uti varias juris regulas, & sententias Prudentum generales, usuque receptas, libris suis Definitionum complecteretur.

§. IV. A verbis ad res veniamus. Stoicorum opinio fuit, fetum dum in utero est qualemcunque, sive formatum, sive non formatum, haud esse animal, aut hominem, sed partem tantum matris, ejusque viscerum latens onus; pariter ac fructus pendentes pars arboris sunt, & æs, quod conflatur, statua dici non potest. Neque enim ani-

mam

mam in utero concipi; sed effuso jam partu, nondum vivo infanti extrinsecus ab anima mundi, ut ventum, insinuari credebant; unde & *ventus*, *spiritus*, *flatus* in eorum scholis vocatur. Plutarchus de placitis Philosophorum lib. V. cap. 15. *Stoici fetum partem ventris, non animal esse censent, utque fructus, qui stirpium partes sunt, ubi maturuere defluunt: ita rem quoque habere de fetu.* Idem de Stoicorum repugnantiis cap. LXII. *Fetum hominis in utero ali, ait Chrysippus, à natura, tanquam plantam: partu autem editum ab aëre refrigerari ac durari, & mutato spiritu fieri animal.* Absurda sententia, quam vel femina refelleret, & tamen adeo his principiis imbutus erat Papinianus, ut eam sequeretur in *l.* 9. *D. ad Legem Falcidiam*: *Partus*, inquit, *nondum editus homo non recte fuisse creditur.* Ab iisdem verius traditum & decantatum, quod & divinæ litteræ docent; Deos nos sui & nostri causa, orbem vero universum, & quæ in eo sunt, hominum gratia construxisse. Cicero II. de Natura Deorum cap. 53. *Quorum igitur causa quis dixerit, effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione utuntur. Hi sunt Dii & homines, quibus profecto nihil est melius.* Ex his colligebat Brutus & Proculiani deinde omnes,

omnes, hominem hominis in fructu esse non posse; quia semper id, cujus causa aliquid comparatur, alterius generis esse oportet, quam id quod comparatur. Contra valide satis P. Scævola & Manius Manilius urgebant, similiter inde absurdum videri, hominem hominis esse servum. Sed Bruti sententia obtinuit, partum ancillæ non esse fructum, propterea que ad fructuarium non pertinere. Ita Ulpianus & Cajus in *l.* 68. *D. de Usufructu l.* 28. *D. de Usuris.* quibuscum facit Papinianus in *l.* 4. *D. de Usuris* & *l.* 58. §. 4. *D. ad SCtum Trebellianum.*

§. V. Purum præterea putumque Stoicum est, quod homines hominum caussa in mutuum adjutorium, caritatem & benevolentiam generatos scripsit in *l.* 7. *D. de Servis exportandis*, elegante illa sententia: *Beneficio adfici hominem hominis interest.* Quæ humana licet & speciosa prima fronte videatur, fluxit tamen ex cognatione illa, quam Porticus cuivis cum toto genere humano, propter communem divini spiritus particulam, intercedere fingebat. Egregie hoc declarat Cicero lib. V. de Finibus cap. 23. & Marcus, magnum illud Stoæ præsidium, lib. III. ad se ipsum §. 4. *Meminit etiam sapiens cognatum esse rationale omne,*

&

& naturæ ipsius humanæ rationem ab unoquoque hoc exigere, ut hominum quorumvis curam gerat. Stoicum item est, quod Papinianus superioribus verbis statim adjicit: *Enimvero pœnæ non irrogatæ indignatio solam duritiem continet.* Nam Stoici dicunt Sapientem esse vacuum perturbationibus & quietum; sentire suspiciones quasdam affectuum & umbras, ipsis carere; quod notum est, & Lipsius Manuductione ad Stoicam Philosophiam lib. III. dissertatione 7. multis testimoniis confirmavit. Ipse noster in lege præcedente 6. Titulo eodem: *Viro bono*, ait, id est arbitro Stoico, *non convenire credere, venditoris interesse, quod animo sævientis satisfactum non fuisset.* Prorsus etiam Stoice ibidem *affectionis* honestæ & *verecundiæ* rationem habendam disputat: quod enim Stoici *pœne Cynici* vocantur à Cicerone lib. I. de Officiis cap. 35. & Juvenalis Sat. XIII. ℣. 121. Stoica dogmata *à Cynicis tunica distare* ait, id ad viliores tantum animas & PseudoStoicos referendum est. Germano Stoico nihil bonum erat, nisi quod honestum. Vid. Laërtius lib. VII. n. 4. & Julianus Oratione VI. Ab eadem secta habet, quod in veris & rectis semper sibi similis, turpe existimavit, sententiam mutare: in aliis vero, ubi minus recte

recte senserat, nullus ei pudor fuit, ad meliora transire. Cujus rei præter alia, quæ infra referemus, eadem hæc *l.* 6. testimonium præbet, in verbis: *Sed in contrarium me vocat Sabini sententia &c.* Marcus hoc sæpius inculcat lib. I. §. 16. & lib. IV. §. 12. & præsertim lib. VI. §. 21. ubi hæc ejus verba Latine reddita leguntur: *Si quis convincere me poterit, palamque mihi facere, quod in re ulla minus recte sentiam, aut me geram, læto lubentique animo mutabo: sector enim veritatem, à qua nemo unquam læsus est: læditur vero, qui in errore suo & ignorantia subsistit.*

§. VI. Inter errores Stoicorum haud postremus fuit, quod αὐτοχειρίαν licitam esse censuere, si ita ex tædio vitæ, vel doloris impatientia, aut pudore æris alieni vivendum sit, ut nulla inde ad humanam felicitatem utilitas redundare possit. Seneca Epist. XVII. *Si necessitates ultimæ inciderint, exiliet è vita, & molestus sibi esse desinet.* Plinius lib. XXVIII. Historiæ Naturalis cap. 2. *Ex omnibus bonis, quæ homini natura tribuit, nihil melius tempestiva morte: in eaque id optimum, quod illam sibi quisque præstare potest.* Eundem vero cum illis errorem errat Papinianus in *l.* 3. *pr. D. de Bonis eorum qui ante sententiam.* Verba ejus, referente

ferente Marciano, hæc ſunt: *Qui rei poſtulati, vel qui in ſcelere deprehenſi, metu criminis imminentis, mortem ſibi conſtituerunt, heredem non habent. Papinianus lib. XVI. Reſponſorum ita ſcripſit, ut, qui rei criminis non poſtulati, manus ſibi intulerint, bona eorum fiſco non vindicentur. Non enim facti ſceleritatem eſſe obnoxiam, ſed conſcientiæ metum in reo.* Ecce! ſi quis in ſcelere non deprehenſus, nec reus criminis poſtulatus eſt, non improbandam, multo minus puniendam, ait, ἀυτοφονίαν: neque enim ante accuſationem Fiſco jus erat quæſitum, neque dum in ſuum ſævit corpus, alteri injuria infertur. Et hoc colore eorum, qui ſub Tiberio de ſe ſtatuerant, humabantur corpora, manebant teſtamenta, pretium feſtinandi, ait Tacitus. *Facti* autem *ſceleritas* hic notat crimen commiſſum, non ipſam mortem voluntariam; ut ex verbis ſequentibus contra Cujacium erudite oſtendit Ampliſſimus Bynkershoek lib. IV. Obſervationum cap. 4. Ad ineptias quoque Stoicorum referendum eſt, quod impuberem ante duas annorum hebdomadas, ſeu ante annos quatuordecim ſapere non crediderunt. Seneca Epiſtola CXXI. infantes brutis comparat, & quærit: *Quomodo infans conciliari conſtitutioni rationali poteſt,*

cum

cum rationalis nondum sit? Plutarchus lib. V. de Placitis Philosophorum cap. 23. *Heracletus & Stoici sub annum decimum quartum hominem ajunt incipere perfici, cum jam etiam genitalis urina secerni incipit: nam & arbores tum incipere perfici, cum gignere semina incipiunt: immaturas ante esse & imperfectas, dum fructu carent. Præterea eo natu homo jam in notitiam boni ac mali venit, eorumque disciplinæ capax existit.* Plinius lib. VII. Historiæ cap. 50. *Nec reputantur infantiæ anni, qui sensu carent.* Eundem in modum Papinianus in l. 10. D. de Juris & facti ignorantia ait: *Impuberes sine tutore agentes, nihil posse scire intelliguntur.* Iterum in l. ult. D. Rem pupilli salvam fore: *Pupillo vero agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit, & ignorat omnia &c.*

§. VII. Nullus finis esset, si omnia ejus capita huc pertinentia illustrare vellemus. Inter ceteros enim Jurisconsultos Papinianus & Ulpianus quam maxime ingenium ex Stoicorum fontibus proluere. Age vero ex potioribus panniculis qui supersunt, unum adhuc centonem consuamus, & varietas delectabit. Inter ratas Stoicorum sententias erat, virtutem & probitatem jurejurando fideliorem habendam, nec Sapienti jurare necesse esse, cui injurato tantum credi oporteat,

porteat, quantum aliis juratis. Auctor est Marcus lib. III. §. 5. & Epictetus Enchirid. cap. 44. *Jusjurandum*, inquit, *recusa, si fieri potest, omnino: sin minus, quantum potes.* Quibus consentaneum est, quod noster in *l.* 25. §. 1. *D. de Constituta pecunia* hominem jurare nolentem, non modo excusare, sed & laudare videtur: *Nemo*, inquit, *dubitat, modestius facere, qui referat jusjurandum, quam ut ipse juret.* Marcellus ideo conditionem jurisjurandi in numero turpium habuit, *l.* 20. *D. de Conditionibus & demonstrationibus.* & Prætor, quæ sub conditione jurisjurandi relicta sunt, reprobavit: *Cum enim faciles sint nonnulli hominum ad jurandum, contemtu religionis, alii perquam timidi, metu divini numinis, usque ad superstitionem: ne vel hi, vel illi aut consequerentur aut perderent quod relictum est, Prætor consultissime intervenit:* ait Ulpianus in *l.* 8. *D. de Conditionibus institutionum.* Quis hodie est, qui dubitet, quin usuræ jure naturæ permittantur? quandoquidem nemo cum suo detrimento alteri prodesse tenetur: & tamen M. Cato existimabat, pejorem civem esse feneratorem, quam furem, & fenerari esse hominem occidere. Movere illum poterat, quod vetus Urbi fœnebre malum, & seditionum discordiarumque

creberrima caussa: eoque antiquis quoque & minus corruptis moribus prohibitum, ut Tacitus inquit. Sed & hæc ratio fuit, quod cum Stoicis sensit, naturam non agnoscere pecuniam, pecuniæ, ceu rei sterilis, fructum. Docet Seneca lib. VII. de beneficiis cap. 10. *Quid fenus, & kalendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* A quo non abit Papinianus, quum *usuram natura non provenire, sed jure percipi* scribit in *l. 62. D. de Rei vindicatione.* Variant Stoici super immortalitate animæ. Alii omnium, alii sapientum, alii nullorum animas, usque ad conflagrationem perseverare dicebant: Hæc vero communis erat opinio, eas vagari, donec corpora insepulta jacerent, igitur ad quietem conciliandam suprema iis persolvenda esse, & umbras sepulcris condendas: quod erudite admodum, ut omnia, animadvertit Illustris Cuperus lib. I. Observationum cap. 20. Hinc lucem feneratur Papinianus in l. 43. D. de Religiosis & sumtibus funerum, quum ait: *summam esse rationem, quæ pro religione facit.* Illud denique Stoicorum erat robur, ut summa libertate malorum Principum laniatus & ictus perstringerent: sive ferrum minetur tyrannus, sive laqueum, sive alio modo vincula servitutis abrumpat.
Memo-

Memorata est Antistii Labeonis libertas apud Aulum Gellium; & Nero, si Tacitum audimus, Senecæ libertatem sæpius, quam servitutem expertus est. Quid noster? Tum quam maxime Stoicum sese probavit, quum animo obfirmato Caracallæ obstitit, & mori maluit, quam ejus fratricidium excusare.

CAPUT X.

PAPINIANUS JURISCONSULTUS.

I. *Omnes Jurisconsultos eruditionis gloria superavit; unde dictus Juris asylum & doctrinæ legalis thesaurus; Excellentissimus Jurisconsultorum; Vir Consultissimus; Prudentissimus; Sapientissimus.* II. *Ex naturæ fontibus deducit, liberis deberi legitimam; pacta de hereditate viventis esse illicita; novercam cum privigno incestum committere. Festinare contra jus gentium in l. 29. D. de Donationibus minus recte à Schiltero explicatum.* III. *Juris pontificii apprime fuit peritus, de quo Princeps tum, ut Pontifex Maximus, cognoscebat. §. 10. Inst. de Rerum divisione l. 43. de Religiosis l. 50. de Pe-*

titione hereditatis, aliæque leges illustrantur. IV. *Jus antiquam tractavit, ut novum; Constitutiones separavit à jure, & quare. Cujacius, Robertus, Duarenus confutati. L. 11. D. de Legatis lib. 1. & l. 11. D. de Duobus reis nova luce donantur.* V. *Auxit Jurisprudentiam tribus capitibus, in sola materia fidejussorum. Eminuit in interpretatione ultimarum voluntatum, cujus divinum specimen in l.* 102. *D. de Conditionibus & demonstrationibus. Concepit rescripta Severi plena æquitatis.* VI. *Ejus scientia juris Publici, Prætorii, & civilis, sive non scripti pulcherrimis exemplis demonstrata.* VII. *In responsis & quæstionibus æquitatem copulavit cum juris civilis ratione; non magis juris, quam justitiæ consultus. L. 2. D. Qui potiores in pignore à Regneri & Schilteri censura vindicata.* VIII. *Prudens fuit in cavendo; non decipiendo. Composuit formulas, quæ tum temporis necdum sublatæ.* IX. *Rationes ejus sub examen vocatæ in l.* 20. *D. de Compensationibus l.* 10. *D. de Jure codicillorum l.* 1. §. 2. *D. de Usuris l.* 21. *de SCto Silaniano, aliæque plures.*

§. I.

§. I.

NOn dubito fore, qui jam attoniti tot artes, quibus singulis hodie vix quisquam sufficit, in uno homine consedisse mirabuntur. Sed restat vasta Jurisprudentiæ disciplina, quam principali studio, tanquam omnium scientiarum arcem, sibi exercendam sumsit Papinianus, à litteris, quæ ab humanitate nomen habent, jam probe instructus. Longiores autem fuimus in ancillis ejus & adminiculis recensendis, ut argueremus temporum nostrorum ignaviam, quibus in quamvis potius, quam in hanc partem, peccari solet. In omnibus quippe gymnasiis fere, sermonis Latini & Græci proprietas negligitur; methodus & ars docendi discendique contemta jacet; & plurimorum Doctorum titulis inscribi potest, quod stolidissimi olim Trimalcionis tumulo inscriptum refert Petronius: *Nec unquam Philosophum audivit.* Longe alia mens sedit nostro; qui bene edoctus, quod Arcesilaus dicebat, in officinam fullonis lanam deferendam non esse; non prius ad juris civilis studium accessit, quam omnia, quæ viam ad illud cognoscendum muniunt, perfecte didicisset. Unde reliquias ejus perlegens unusquisque revera judicabit, scientias omnes, quæ in ce-

teris Jurisconſultis ſparſim adfuere, in uno hoc Æmilio perfectius floruiſſe. Quod ad me attinet, ſatis agnoſco, leviora omnia & minora, quam reapſe ſint, hic referri; cum non eo præditus ſim vel ingenio, vel doctrina & facundia, ut tantas tanti Jurisconſulti dotes pro dignitate tractare valeam. Faciam tamen periculum, collectis primo loco elogiis, quæ ipſi ab aliis, tanquam Jurisconſultorum principi, tribuuntur. Zoſimus lib. I. Hiſtoriarum cap. 9. eum vocat, ἄνδρα δικαιότατον, καὶ ἐπὶ νόμων γνώσει τε καὶ ἐξηγήσει πάντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ καὶ μετ᾽ αὐτὸν Ῥωμαίους νομοθέτας ὑπερβαλόμενον, *virum juſtiſſimum, & qui tam cognitione, quam expoſitione legum, omnes ante pariter, & poſt ſe Romanos Jurisconſultos ſuperavit*. Spartiano in vita Severi cap. XXI. *Juris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurus* nominatur; eadem forma, qua Quæſtor palatii, ſive Cancellarius, in Novella quadam Valentiniani, & apud Caſſiodorum lib. VI. formula 5. *Theſaurus famæ publicæ, & armarium legum* vocatur. Theophilus Inſtitutionum paraphraſtes in §. 7. de Fideicommiſſariis hereditatibus: ὁ ἄριστος, ſcribit, τῶν νομικῶν Παπινιανὸς; *Excellentiſſimus Jurisconſultorum Papinianus*, pro eo quod Juſtinianus ſcripſerat, *homo excelſi ingenii Papinianus*. Sed hæc

hæc minora sunt præ laudibus, quibus summi Imperatores eum prosequuti. Decius *Virum Consultissimum* vocat in *l.* 3. *C. de Acquirenda & retinenda possessione*, hac ratione, quod domus ejus, velut oraculum totius civitatis, cunctis patuit, quodque his, à quibus consilii expetendi caussa adibatur, optima responsa dedit. Ovidius *Consultum* absolute pro Jurisperito dixit, &, Livius lib. I. cap. 18. de Numa. *Consultissimus vir, ut in illa quisquam ætate esse poterat, omnis divini atque humani juris.* Gordianus porro, ut & Carus, Carinus & Numerianus, Diocletianus item & Maximianus eum *Prudentissimum* appellarunt in *l.* 12. *C. de Legatis*, *l.* 16. *C. de Fideicommissis*. *l.* 14. *C. de Prædiis & aliis rebus minorum.* Quum enim in scholis & atriis Jurisconsultorum *prudentia* primum locum obtineat, factum est, ut illi, proprio quasi nomine, *Prudentes* & *Jurisprudentes*, sicut ipsa eorum ars *Jurisprudentia*, vocarentur. Declarabo hoc verbis Tullii in Topicis cap. XVII. *Privata enim judicia maximarum quidem rerum in Jurisconsultorum mihi videntur esse Prudentia. Nam & adsunt multum, & adhibentur in consilio: & patronis diligentibus, ad eorum Prudentiam confugientibus, hastas ministrant.* Noster autem in gradu maximo, una cum suis

Aſſeſſoribus Ulpiano & Paullo *Prudentiſſimi* nomine honoratus; ſicut Quintus Mucius *Prudentiſſimus homo* Ciceroni pro Cæcina cap. XVIII. & Caſſius Longinus Jurisconſultus, *Vir prudentiſſimus* appellatur, apud Aggenum comment. in Frontinum de limitibus agrorum pag. 57. edit. Goeſii. Denique huc referendum, quod Juſtinianus in principio Novellæ Conſtitutionis CVIII. ei *Sapientiſſimi* elogium tribuit; Παπιανῷ τῷ σοφωτάτῳ. Jurisprudentia enim non aliud eſt, quam *civilis ſapientia*, ut Ulpianus ait in *l.* 1. §. 5. *D. de Extraordinariis cognitionibus*. Et quemadmodum apud Græcos *Sapientum* nomen retulerunt, qui Reſpublicas legibus ac jure fundarant; ſic antiquus Populus Romanus, auctore Pomponio, Sempronium σοφὸν, & Publium Attilium ideo *Sapientem* appellavit, quod in jure civili prudentes eſſe putabantur. Maſurius apud Athenæum lib. XIV. cap. 5. ὁ πάντα ἄριστος καὶ σοφὸς dicitur: at, qui omnes ſuperabat, Papinianus σοφώτατος vocandus erat. *Acutiſſimi ingenii vir, & merito ante alios excellens Papinianus.* ut idem Imperator ſcribit in *l.* 30. *C. de Fideicommiſſis*. Titulos à recentioribus Interpretibus paſſim ei adſcriptos ſciens omitto: non tamen unicum Cujacii: quod is unus optime ejus ingenii dotes

tes cognovit, & scripta explicuit: vitaque ac studiis veram ejus imaginem expressit. *Nemo unquam*, in vita Papiniani, Quæstionum libris præmissa, inquit, *Papiniano æquari potest, nisi per deridiculum: nemo unquam unus Papinianus erit. Ut Homerus unus Poëtarum princeps: sic unus Princeps Jurisconsultorum Papinianus: bibliotheca* ἔμψυχος, *ut Eunapius de quodam Philosopho. Hic unus præceptor Jurisconsultorum, quod non diffiterentur ipsi Paullus, Ulpianus, Tryphoninus: Papinianistæ dici possunt, nullus Papinianus. In hoc uno est asylum juris, ad quod confugiunt consilii inopes, jus* ἔμψυχον, *ut Aristoteles ait.* Hactenus ille.

§. II. Quod si nunc in rem præsentem ire lubet, quod res est, deprehendemus non nimias laudes Papiniano tributas. Sive enim cum Antonio apud Ciceronem Jurisconsultum definias, qui legum & consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad agendum, & ad cavendum est peritus. Sive cum Hotmano eum describere mavis, qui tum æqui & boni, tum juris civilis peritus, populo se ad respondendum, interpretandum, cavendum atque agendum dedit: utroque modo ipse Papinianus definitus esse videtur. Neque enim is hactenus ceteris Jurisconsultis similis, qui unam Jurispru-

dentiæ partem diligentius ſibi excolendam exiſtimabant: idque Medicorum exemplo, quorum alii morbis, alii vulneribus, alii oculis, aut alteri corporis parti medentur: verum ita in omnibus juris partibus excelluit; ut gentium ac civilis, divini ac humani, antiqui ac novi, publici ac privati, ſcripti ac non ſcripti, civilis ac Prætorii, æque eſſet peritus. Eamus per ſingula. Cicero lib. I. de Legibus ſcribit, inter ea, quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſſe præſtabilius, quam plane intelligi, non opinione, ſed natura jus eſſe conſtitutum. Natura autem à veteribus diuidebatur in *communem* omnium animantium, & *humanam*, quæ per rectam ratiocinationem in ſolo homine operatur. Hinc ſi homines faciunt ratione, quæ bruta faciunt inclinatione naturali, *jure naturæ* faciunt: cetera ad *jus gentium* ſive hominum pertinent; quod ipſum natura, in *l.* 14. *D. de Condictione indebiti*, jus naturale *l. pen. D. de Juſtitia & jure*, naturalis æquitas *l.* 19. *D. de Captivis & poſtliminio*, lex naturalis vocatur *l.* 24. *D. de Statu hominum.* Unde liquet, quid ſit, quod Papinianus naturam & jus gentium promiſcue uſurpat in *l.* 38. §. 2. 3. *D. ad Legem Juliam de adulteriis*, quamvis de ſolo eo jure, quo homi-

nes

nes utuntur, ei ſermo ſit. Sollenne autem huic eſt, ex ipſis naturæ fontibus jus deducere, quod quibusdam ſelectis exemplis demonſtraſſe juvabit. In *l.* 7. §. 1. *D. Si tabulæ teſtamenti nullæ extabunt*, hæc ejus habentur verba: *Non ſic parentibus liberorum, ut liberis parentium, debetur hereditas. Parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit: liberos NATURÆ ſimul & parentium commune votum.* Id eſt, liberis tenentur parentes aliquid relinquere, ex præciſo debito naturali, & conjectura naturæ, qua parentes id creduntur velle, ut natis optime proſpectum ſit. Parentes autem liberorum hereditas non ſequitur, ex juris naturalis neceſſitate; ſed ex virtute & pietate, quia turbato mortalitatis ordine ſuccedunt, ut ipſe eleganter ait in *l.* 15. *pr. D. de Inofficioſo teſtamento.* unde luctuoſa triſtisque eorum ſucceſſio vocatur in *l. ult. C. de Inſtitutionibus. l. ult. C. Communia de Succeſſionibus.* Scilicet natura per amorem parentum erga liberos intendit conſervationem ſui atque generis: id quod in amore liberorum erga parentes non cernitur. Egregie hoc confirmat Philo Judæus de Vita Moſis III. *Cum lex naturæ ſit, ut liberi parentibus, non parentes liberis in bona ſuccedant; Moſes id, quod contra vota parentum malique*

malique ominis erat, *texit silentio*. Alterum non minus elegans peritiæ juris naturalis specimen dedit in *l.* 29. §. 2. *D. de Donationibus*. ubi illum, qui partem bonorum proximæ cognatæ viventis & ignorantis donavit, *adversus bonos mores & jus gentium festinasse* scribit. Recte! Ejusmodi enim præfestinata donatio continere videbatur votum captandæ mortis cognatæ, quod pie abominatæ sunt leges: nec insidiarum procuratio ulla cognatis fieri potest, quin boni civitatis mores & gentium jus lædatur, quo jure nefas est homini hominem insidiari, quia cognati sunt. Seneca pactum hujusmodi *spem nefariam* vocat, Ulpianus *spem præmaturam* in *l.* 1. §. 2. *D. de Collatione*; Justinianus *acerbissimam plenamque tristissimi & periculosi eventus*, in *l. ult. C. de Pactis*; Julianus *denique improbum* eum esse arbitrabatur, *qui sollicitus est de vivi hereditate*, *l.* 2. §. 2. *D. de Vulgari & pupillari substitutione*, eumque *contra bonos mores* pacisci ait in *l.* 61. *D. de Verborum obligationibus*. Schilterus Exercitatione ad Pandectas VIII. §. 39. existimabat, Papinianum bonis moribus ideo hic adjecisse jus gentium; quia tale pactum liberam testandi facultatem impediat. Minus, ut puto, accurate. Quanquam enim cum Stoicis fortasse ea in opinione

nione fuit, testamenta & commendationes morientium, ex animorum affectione illa, quam communem inter homines natura instituit, natas esse, ut M. Cato Stoicus apud Tullium III. de Finibus demonstrans inducitur: hæc tamen ratio prohiberet tantum pacta reciproca, de mutua paciscentium successione, de quibus hic non agit noster. Properemus igitur ad tertium exemplum, & videamus, num recte Papinianus dixerit, novercam cum privigno, vel socerum cum nuru nuptias contrahentes, *incestum jure gentium committere*, in *l. ult. D. de Condictione sine causa* & *l* 38. §. 2. *D. ad Legem Juliam de adulteriis.* Nemini equidem dubium esse potest, incestas & nefarias hasce nuptias esse; cum pudori, castitati, verecundiæ naturali, publicæque honestati tales conjunctiones adversentur, & non nisi turpissima confusio, ex diversis hisce relationibus commixtis, oriri possit. Matris quippe loco colenda est noverca, ut quæ successit matri in eadem domo & toro. Unde Spartianus Caracallam novercam ducentem, ait, *cum parricidio junxisse incestum* cap. X. in ejus vita. Socer quoque parentis loco est, & pater vocatur, in *l.* 16. *D. Soluto matrimonio*, *l. f. de His quibus ut indignis.* quod Plinius confirmat lib. VII. Hi-
storiæ

ſtoriæ naturalis cap. 13. *Nurus generosque, & omnes, qui ſe patris appellatione ſalutarent.* & alii apud Cujacium lib. IX. Obſervationum cap. 18. At ratio hæc efficere tantum quibusdam videtur, ut jure civili vel moribus nuptiæ illæ inceſtæ ſint; cum inter parentes & liberos, cognatos & ſanguine junctos duntaxat, non inter affines jure gentium inceſtus committatur. Verum credamus licet Papiniano, inceſtum jure gentium committi, ſi ſocero nurus, vel noverca privigno commiſceatur. Bis Sanctus enim Apoſtolus 1. ad Corinthios V. principio: *ne inter gentes quidem nominari*, ait, *ut quis uxorem patris habeat.* Ipſe Jehova nuditatem novercæ detegere vetat, Levitici XVIII. ℣. 8. Valerius Maximus lib. V. cap. 7. nuptias has *improbas* vocat *faces, & impium pectoris vulnus.* Graviſſime etiam Cicero pro Cluentio Avito: *Nubit*, inquit, *genero ſocrus auſpicibus nullis, nullis auctoribus, funeſtis omnibus. O mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam, & indomitam! O audaciam ſingularem!* Adde Grotium lib. II. cap. 5. §. 13. & Briſſonium de Jure connubiorum prope ad finem.

§. III. Tantum de ſtudio juris gentium. Veniamus ad Jus *divinum*, quod ad religio-

nes,

nes, vota, ferias, ſepulcra, cærimonias & omnem ſacrorum rationem pertinebat: erat hoc ſpecies juris publici, & alio nomine jus pontificium appellatur. Conqueſtus eſt Cicero ſuo tempore, neminem univerſi juris ſcientiam tenere, & pontificium jus, quatenus conjunctum erat, à plerisque negligi. Idem vero noſtris moribus nimis eheu! queri liceat. Renunciantur indies Utriusque Juris Doctores, quorum plerique in Jure Canonico adeo hoſpites ſunt & peregrini, ut ne prima ejus principia deguſtaverint, nec omnino quid ſit jus illud, quod profitentur, quod in foro regnat, & centum ante annis, quam jus civile in Germania fuit receptum, intelligere videantur. Mature igitur Jurium Studioſis commendandum eſt Papiniani exemplum, cujus animus utramque diſciplinam ex aſſe complexus eſt: ut vere περιδέξιος, ſive, ut veteres locuti, *æquimanus* vocari poſſit. Atque ita oportuit. Cum enim in Legibus XII. Tabularum (unde origo totius juris) jus ſacrum, publicum & privatum eſſet comprehenſum, primi earum interpretes fuerunt Pontifices, & cum hæc ſcientia ad Jurisconſultos dein tranſlata eſſet, illi nihilominus juris civilis, ut hi juris divini notitiam habere debebant. Hinc in majore gloria ſemper

ſemper fuerunt Scævola, Torquatus, Coruncanius, Labeo, Capito, Trebatius, Sabinus, Nerva quod ad reſpondendum de divinis pariter ac humanis rebus parati eſſent. His autem ſuo merito & noſter accenſendus, utpote cui præ ceteris, in materia de rebus ſacris, teſtimonium denuntiavit Juſtinianus §. 10. *Inſtitut de Diviſione rerum.* Ubi ad hæc *l.* 73. *D. de Contrahenda emtione* verba digitum intendit: *Æde ſacra terræ motu diruta, locus ædificii non eſt profanus; & ideo vænire non poteſt.* Idem ſcribit Seneca Conſolatione ad Helviam cap. XIII. *Si magnus vir cecidit, magnus jacuit. Non magis illum contemni, quam cum ædium ſacrarum ruinæ calcantur: quas religioſi æque ac ſtantes adorant.* Inſigne profecto eſt illud Papiniani dictum, hic loci minime prætereundum, in l. 43. D. de Religioſis & ſumtibus funerum: *Propter publicam utilitatem, ne inſepulta cadavera jacerent, ſtrictam rationem inſuper habemus: quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæſtionibus omitti ſolet; nam ſummam eſſe rationem, quæ pro religione facit.* Cur ita? Tanta corporis humani eſt præſtantia, ut alia animantia eo paſci, indignum viſum fuerit pleriſque gentibus; quæ ideo officium ſepeliendi non tam homini, quam humanitati

præſtari

præstari dicunt. Sed apud Romanos accedebat religio quædam sepulcrorum, secundum quam, auctore Tullio, Deorum manium jura sancta erant, hique leto dati Divi habebantur. Inde summus ille rei religiosæ favor, quem idem Papinianus eleganter docet in *l.* 50. *D. de Petitione hereditatis: Quamvis*, ibi inquit, *stricto jure nulla teneantur actione heredes, ad monumentum faciendum; tamen principali vel pontificali auctoritate compelluntur, ad obsequium ultimæ voluntatis.* Conjunxit Principis & Pontificis auctoritatem, quemadmodum Ulpianus decretum Pontificum & Principis jussum in *l.* 8. *D. de Religiosis.* & Valens Imperatoris permissum in *l. ult. D. Ut in possessione legatorum.* Princeps enim plerumque erat Pontifex maximus, deque rebus religiosis, sacris & sanctis cognoscebat. Ut ex Dione lib. LIV. Plinio lib. X. Epist. 73. Tacito lib. III. Annalium 58. Spartiano in Hadriano aliisque constat. Innumeri hoc ipsum docent lapides, in quibus Romani Imperatores Pontifices Maximi vocantur; sed primum ex opere Gruteri æterno, quia ad Papiniani ætatem pertinet, tantum appono:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS
SEVERVS. PIVS. PERTINAX
M ARABI-

ARABICVS. ADIABENICVS PARTHICVS. MAXIMVS PONTIFEX. MAX.

Quam magna autem ſit ratio, quæ pro religione facit; non tamen adeo ſuperſtitioſus fuit Papinianus, ut ejus prætextu infringi voluerit aliorum hominum libertatem. Hinc in *l.* 71. §. 2. *D. de Conditionibus & demonſtrationibus*, cum docet, quoties conditio remittitur, remitti etiam cautionem Mutianam; proponit hoc exemplum: *Titio centum relicta ſunt ita, ut à monumento meo non recedat*, conditionem cum cautione remittendam, ait, niſi defuncti fuerit libertus. Rurſus ſapientiſſime ſepulturæ favet, non autem impenſis ſepulcrorum minus neceſſariis: *Ineptas voluntates defunctorum circa ſepulturam, veluti veſtes, aut ſi qua alia ſupervacua, ut in funus impendantur, non valere Papinianus lib. III. Reſponſorum ſcribit*, referente id Marciano in *l.* 113. §. *fin. D. de Legatis lib.* 1. Et alio loco in conditione monumenti faciendi, ita, ait, ſervandam eſſe ultimam voluntatem, ſi probabilem modum non excedat, in *l.* 50. §. 1. *D. de Petitione hereditatis.* Qua in re Solonem ſequitur, Numam & Decemviros. Vide Ciceronem II. de Legibus cap. 33.

§. IV.

§. IV. Quod Plinius lib. VIII. Epiſtola 14. de Ariſtone Juriſconſulto ſcribit, curæ ei ſemper fuiſſe, *ſic jura publica, ut privata; ſic antiqua, ut recentia; ſic rara, ut aſſidua tractare*, idem de Heroë noſtro jure meritoque prædicamus; cujus tanta univerſi juris peritia fuit, ut nullo rerum tractandarum delectu, de quacunque juris uſitati, aut raro contingentis parte ſententiam rogatus doctiſſime reſpondere poſſet. Vix ille tot leges inter ſe pugnantes in concordiam adduci poſſe rebatur, aut juris novi rationes ſibi conſtituras ſperabat, niſi originem & progreſſum juris veteris exploraſſet. Mole enim ſua male cohærente jam dudum laboraverat Jurisprudentia, adeo ut Pompejus, Sylla, Cæſar, Cicero, aliique jam conſilium ceperint Jus Civile ad certum modum redigendi, atque ex immenſa legum ſuper alias cumulatarum ſilva, optima quæque & neceſſaria in pauciſſimos libros conferendi. Hadrianus Edicta quidem Prætorum in unum coëgerat volumen; ſed Imperatores quotidie Conſtitutionibus ſuis jus, id eſt veteres leges, Plebiſcita, Senatusconſulta, aut Juriſconſultorum auctoritates varie immutabant, ejus rigorem aut benigne temperantes, aut humanitatem ſevere corrigentes: ut proin jus à Con-

ſtitutionibus caute ſeparandum, & vetus novo colligatum addiſcendum eſſet, licet illud uſui nulli in tritura forenſi futurum. *Multa antiqua ſepulta, tum mores veteresque novosque tenentem; & multarum veterum legum divumque hominumque prudentem*, Jurisconſultum jam ante deſcripſerat Ennius. Summus autem Cujacius lib XVI. Obſervationum cap. 4. primum obſervavit, placuiſſe Papiniano, in variis capitibus jus antiquum ſic pertractare, quaſi nulla fuiſſet Conſtitutio, quæ id iviſſet ſublatum. Exemplo utitur *legis* 25. §. 1. *D. Quando dies legatorum cedat*, ubi ita eum ſcribere putat, quaſi ex naturali obligatione, qua tenetur pupillus, nulla naſcatur actio; cum tamen Conſtitutione Divi Pii utilis prodita jam eſſet. Similiter in *l.* 72. §. 2. *D. de Conditionibus & demonſtrationibus* eum tractare de eo jure, quod obtinuit ante Conſtitutionem D. Marci, remiſſa cautione fideicommiſſi. Utiliſſima hæc & elegans videbatur obſervatio; niſi intercederet Johannes Robertus lib. II. Receptarum lectionum cap. 17. & lib. III. Animadverſionum cap. 21. qui nulla ratione ferendum ducit, tantam aut imprudentiam aut malitiam Papiniano tribui, ut ea, quibus poſteriore jure derogatum eſſet, pro iis quæ jure obtine-

rent,

rent, distinctionibus etiam adhibitis, & rationibus adductis, venditaret, adeoque Responsis suis tenebras offunderet Cimmeriis longe obscuriores. Laudandus est Roberti zelus, quod Jurisconsultorum coryphæum vellicari non sinit. Vereor autem ne præ odio, quo in Cujacium iniquior nonnunquam, ei hic affingat, quod ab ejus sententia longe erat alienum. Ad imprudentiam enim quod attinet, non equidem fraudi fuerit Papiniano, hujus illiusve Constitutionis aut rescripti è tot millibus, ignarum immemoremve fuisse. Illo præsertim ævo, quo Imperatores, ut Tertullianus æqualis ejus ait, totam illam veterem & squalentem silvam legum, novis Principalium rescriptorum & edictorum securibus truncabant & cædebant. Neque solus foret Papinianus, cui hæc ignorantia objiceretur: nam & ejus præceptori, & assessoribus & discipulo objicitur: Scævolæ in *l. ult. D. de Servis exportandis*, Ulpiano in *l.* 36. *D. de Pignoratitia actione*, Paullo in *l.* 58. §. 1. *D. Mandati* & Marciano in *l.* 6. §. *ult. D. de Rerum divisione*. Nullo præterea colore sic malitiam Papiniano impingi causatur Robertus. Quidni enim in Quæstionum libris, unde hæ leges desumtæ sunt, tractasset de jure certo magis, quam de in-

 certo

certo & vario, quale in Constitutionibus deprehenditur? Nullum hic consultoris versabatur periculum, qui nullus adfuit, nec ex facto respondendum, sed ex ratione juris disputandum erat. Adde, non omnes Principum Constitutiones statim pro jure generali obtinuisse. Iniquæ palam rejiciebantur à Jurisconsultis in fori disputatione; nec æquæ aliter valebant, quam si actuum frequentia essent approbatæ. Macrinus statuerat *omnia Rescripta veterum Principum tollere, ut jure non Rescriptis ageretur: ne ad alias causas facta proferrentur, quæ ad gratiam composita erant*, ut notat Capitolinus. Hactenus igitur injuria Cujacius à Roberto reprehensus, qui Æmilium exercitii gratia, neque novi juris ignarum, sed scientem prudentemque in jure antiquo sic versatum esse profitetur. Nec tamen multum refragabor, si quis in *d. l.* 25. cum Florentina, Norica & scriptis libris, *nec locupletior factus* legat; sensu plano & concinno. In *l.* 72. autem juris recentioris aperte mentionem facit Papinianus; ut adeo bina hæc exempla non satis pertineant ad id, quod erat demonstrandum. Non etiam admittam tertium, quod Duarenus adfert lib. II. Disputationum anniversariarum cap. 26. quasi Papinianus in *l.* 81. *D. de Furtis* re-

spon-derit

ſponderit de ipſo jure, ex Lege Julia peculatus: Marcianus vero in *l.* 4. §. *ult. D. ad Legem Juliam peculatus* de Conſtitutionibus Trajani & Hadriani. Quis enim credat illum, qui fuerat Advocatus fiſci, quemque nihil fugiebat, has ignoraſſe, aut in Reſponſo ſuo præteriiſſe. Magis placent viæ, quibus concordiam tentat Ampliſſimus Bynkershoek lib. IV. Obſervationum cap. 3. His igitur rejectis, omnino ad reliquias juris antiqui referri debet, quod in *l.* 11. *D. de Legatis lib.* 1. Papinianus ait: fideicommiſſum, quod defecit præmoriente filio, cui relictum erat, non fieri caducum, ſed remanere apud patrem; *quia non ut heres, ſed ut pater rogari videtur.* Lege enim Julia caducaria jus ea, quæ in teſtamento deficiebant, capiendi heredibus ademtum, populique ærario delatum fuit, exceptis parentibus & liberis, quibus jus caducorum capiendorum adimere Lex erubuit. Idque eſt *jus antiquum*, quod apud Ulpianum *tit.* 17. §. 2. & Celſum in *l.* 29. *D. de Legatis lib.* 2. & Juſtinianum in *l. unic. C. de Caducis tollendis* vocatur. Juvenalis Satyra IX.

Jura parentis habes, propter me ſcriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.



 Et

Et illud ab antiqui juris observatione repetendum est, quod Papinianus non voluit conveniri sponsorem ante debitorem principalem, si is locuples sit. Indicat hoc nominatim Justinianus in Novella Constitutione 4. cap. 1. Ejusque rei vestigium reliquit in *l.* 11. *D. de Duobus reis*, respondens; reum stipulandi, si velit, dividere actiones contra duos reos promittendi posse: *nec enim cogendus est dividere actiones*, quemadmodum scilicet cogeretur, si fidejussor correus non esset. Videbatur enim quendam habere pudorem, si quis fidejussorem prius appellet, quam debitorem idoneum & præsentem, Idque *lege antiqua olim positum* ait Justinianus principio dictæ Novellæ. Constitutionibus vero electio dari cœperat, sed antiquum servat Papinianus. Cicero lib. XII. ad Atticum 15. *Quod scribis à Junio te appellatum: omnino Cornificius* (reus principalis) *locuples est: sed tamen scire velim, quando dicar spospondisse.* & lib. XVI. epistola 14. *De summa agi prorsus vehementer & severe volo. Etsi sponsores appellare, videtur habere quandam δυσωπίαν, tamen hoc quale sit, consideres velim. Possumus enim, ut sponsores appellentur, procuratorem introducere. Neque enim illi litem contestabuntur, quo facto non sum nescius, sponsores liberari.*

Quin-

Quintilianus Declamatione CCLXXIII. *Non aliter salvo pudore ad sponsorem venit creditor, quam si recipere à debitore non possit.*

§. V. Quintus Mucius, Sulpitium ad juris civilis studium exstimulans, dixisse fertur: Turpe esse patricio, & nobili & causas oranti, jus, in quo versatur, ignorare. Turpe etiam fuerit Papiniano, causarum patrono, & Magistro libellorum, & Præfecto Prætorio, juri tantum absoleto operam dedisse, illud vero, quod in ipsis rerum obtinebat argumentis, ignorasse. Nota erat præceptori ejus Scævolæ gravissima Petronii de fictis Declamatorum fabulis querela: adolescentes in scholis fieri stultissimos, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, vel audiunt, vel vident; sed hoc tantum proficiunt, ut, quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos; idcirco non tantum in ambiguis & umbraticis disputationibus, sed quam maxime in usu fori occupabatur; eademque opera, qua consulentibus de jure respondebat, discipulis quoque suis in atrio principia juris instillabat. Quot fragmenta, tot fere testimonia ejus rei dedit Papinianus; cum ubivis ad Rescripta & Constitutiones Principum, Tiberii, Vespasiani, Domitiani, Trajani, Adriani, Pii, Marci, Commodi,

 Severi

Severi & Antonini provocavit, illudque sollenne *& hoc jure utimur* disputationibus suis subjecit: qua de re jam supra actum, pag. 22. & 98. nec diu his immorabimur, quia cum aliis id habuit commune. Illud non æque, quod summo ingenio, & divina pæne mentis acie, multa invenit nova, & mirum in modum ex ipsius naturæ sinu Jurisprudentiam auxit & locupletavit; ut majori, certe pari jure, quo Scævolam Vellejus lib. II. cap. 26. *divini humanique juris auctorem celeberrimum*, & Eutropius lib. VIII. Ulpianum *juris conditorem* vocat, noster etiam novi juris auctor, & conditor, & legislator appellari queat. Non illi servili Capitonis exemplo placebat, in omnibus, quæ à majoribus acceperat, veris & falsis, perseverare: sed ingenii qualitate & fiducia doctrinæ non vulgaris, cum Labeone, multa innovare jurisque pomœria extendere instituit. Auctorem laudo optimum Justinianum, in Novella Constitutione IV. cap. 1. ubi, cum definit, absente reo, prius cum fidejussore experiri licere: *non*, inquit, *vetus lex aliquam hoc loco medendi rationem definitam habuit, quamvis magnus ille Papinianus primus ista introduxit*. Locum Papiniani in fragmentis, quæ supersunt, quæsieris frustra, cum inter deperditos habeatur.

tur. In eadem materia de fidejussoribus primus auctor fuit, producendæ epistolæ Divi Adriani ad mandatores, cum de solis fidejussoribus esset concepta, in *l.* 7. *D. de Fidejussoribus tutorum*, ubi ratio: *Si enim quod datum pro alio solvitur: cur species actionis æquitatem divisionis excludat?* quam inde mutuatus est Justinianus in *l. ult. C. de Constituta pecunia*, ubi beneficium divisionis extendit ad constitutum. Rursus, si unus fidejussorum ante litem contestatam pro sua parte solvit, deinde conventus, stricto jure non liberabatur. Sed æquius & humanius esse censuit Papinianus, ut si alter solvendo sit litis contestatæ tempore, per exceptionem ei, qui solvit, succurratur. *l.* 15. §. 2. *D. de Fidejussoribus.* Quam maxime autem admirabilis ejus prudentia enituit in interpretatione ultimarum voluntatum, quæ quo difficilior, eo præclarior semper visa est: in densa etenim illa caligine veritatis lumen requiri, omnisque voluntatis conjectura, ex intimis morientium penetralibus erui debet, ubi nulla verborum vi aut significatione juvamur. Varia ejus exempla adferre possem, sed instar omnium sit divinum illud responsum, quoque se ipsum superavit in *l.* 102. *D. de Conditionibus & demonstrationibus*, cujus verba sunt ista:

Cum

Cum avus filium ac nepotem ex altero filio heredes instituisset, à nepote petiit, ut si intrà annum trigesimum moreretur, hereditatem patruo suo restitueret: nepos liberis relictis intrà aetatem supra scriptam decessit vita, fideicommissi conditionem, conjectura pietatis, respondi defecisse; quod minus scriptum, quam dictum fuerat, inveniretur. Ante Papinianum alii juris auctores sine dubio respondissent, patruo fideicommissum deberi; cum sit ei relictum simpliciter, post mortem filii fratris, quæ contigit intra præscriptam ætatem. Jus itaque summum, ut quod dictum scriptumve à testatore esset, servaretur; quod vero esset neglectum negligeretur. At Papinianus pietatis conjecturas præcipue secutus, propter vim τῶν στοργῶν φυσικῶν, primus induxit, in hoc genere fideicommissi tacitam conditionem inesse, *si nepos sine liberis vita decederet*, quæ relicta sobole defecit. Quanti hanc ultimæ voluntatis interpretationem fecerit Imperator, satis declarat, dum eam in Pandectas retulit, & priusquam in eas referretur, duabus constitutionibus non modo confirmavit atque laudavit, sed & latius ac pinguius extendit: illud, in l. 30. C. de Fideicommissis: *Cum acutissimi ingenii vir & merito ante alios excellens Papinianus in suis*

statuerit

ſtatuerit Reſponſis, ſi quis filium ſuum heredem inſtituit &c. Nos hujus ſenſum merito mirati, pleniſſimum ei donamus eventum. Hoc in l. 6. C. de Inſtitutionibus: *Cum autem invenimus excelſi ingenii Papinianum in hujusmodi caſu optimo intellectu diſpoſuiſſe &c. humanitatis intuitu, hoc & latius & pinguius interpretandum eſſe credidimus.* Illuſtrabunt hoc reſponſum, quæ de judicio Curiano habet Cicero in oratione pro Cæcina cap. 18. & Quintilianus lib. VII. Inſtitutionum Oratoriarum cap 6. Integro quoque & diffuſo commentario dictam *l.* 102. explicuit Joſephus de Ruſticis. Multa adhuc alia ſunt capita, quibus Jus civile ab ipſo amplificatum; ſed quia metuo, ne faſtidium pariat nimia mea diligentia, ideo paucis defungar. In *l.* 9. *D. de Senatoribus & l.* 34. §. 3. *D. de Ritu nuptiarum* extendit Legem Juliam & Orationem D. Marci, eamque inſecutum Senatusconſultum, ad filiam ſenatoris ob crimen ſenatu moti. In *l. penult. D. Qui ſine manumiſſione* Conſtitutionem Marci porrigit ad ſervos donatos. In *l.* 69. §. 5. *D. de Jure dotium* admittit, ut dos à tutore qui pater mariti, conſtituatur. In *l.* 40. *D. de Rebus creditis*, referente Paullo, in ejus auditorio decretum eſt, ut pactum ſtipulationi in continenti adjectum ei inſit, actio-

actionemque ex stipulatu tollat ipso jure, & contractum faciat temporalem, qui ante non erat talis. Quod egregie demonstravit Excellentissimus Noodtius de Pactis cap. XII. Atque ita satis, nisi fallor, patet suo merito Papinianum juris conditorem atque doctrinæ legalis thesaurum vocari, nam ut Manilii verba mea faciam:

Hic etiam legum tabulas, & condita jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba,
Et licitum didicit, vetitum quæ pœna sequatur,
Perpetuus populi privato in limine Prætor.

Magis autem hoc apparebit infra, si ad summos honores, quibus functus est noster, oculos convertemus. Tryphoninus in *l.* 12. *pr. D. de Distractione pignorum* scribit, ut creditori à debitore pignus emere liceat, *rescriptum esse ab Imperatore* (Severo) *libellos agente Papiniano.* Fuit igitur Magister scrinii libellorum, cujus munus erat, ad preces & desideria supplicantium dictare, seu formare, mox & reformare Principum Rescripta, quibus maxima pars Constitutionum Imperialium constat. Unde tot pia, tot humana, tot æquissima Severi Rescripta, quæ passim in Codice radiant, ipsoque stylo satis se produnt, non alii, quam

Papi-

Papiniano accepta ferimus. His ille plerumque jus civile ad æquitatem quandam & naturalem rationem redigere conatus est, revocatis etiam subinde legibus antiquissimis, ut humanioribus; media vero Jurisprudentia, ob nimiam subtilitatem, ne dicam iniquitatem, nonnunquam repudiata. Optimus auctor est Tertullianus Apologetici cap. IV. *Nonne & vos experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & squallentem legum silvam, novis Principalibus Rescriptorum & Edictorum securibus truncatis & cæditis? Nonne vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem, heri Severus constantissimus Principum, exclusit?*

§. VI. Juris publici peritiam in Papiniano, neminem puto expectare, multis ut evincam. Per gradus ille ad amplissimos honores erat productus, ac postremum, ut Præfectus prætorio, totius pæne orbis gubernacula tenebat. Dum enim Severus & Antoninus in Africa, Britannia, aliisque remotis longe provinciis Romani imperii fines armis proferebant, ille in Urbe, ut instrumentum seculi boni, & certissima civium salus, cuncta administrabat. Non tantum igitur jus foro curiave conclusum, sed

ſed & quid proprium civitatis, qui Senatores, qui Magiſtratus eſſe debeant, quomodo creandi, quæ cujusque ſit auctoritas, quod officium, breviter, totam ampliſſimi hujus imperii, omniumque provinciarum formam ad unguem ſcire oportuit. Multa hujus diſciplinæ veſtigia in ejus ſcriptis, præſertim in fragmento libri ſingularis de officio Ædilium; quando autem in *l.* 38. *D. de Pactis l.* 29. *D. de Teſtamentaria tutela l.* 30. §. *fin. de Excuſationibus l.* 15. §. 1. *D. ad Legem Falcidiam.* juris publici mentionem fecit, non illud, quod in ſacris, in magiſtratibus & ſacerdotibus conſiſtit; ſed jus commune, quod omnium reſpicit utilitatem, non etiam commodum privati, intellexit. Naturam porro Juris Prætorii unus optime deſcribit, in *l.* 7. *D. de Juſtitia & Jure*, quod *adjuvandi*, vel *ſupplendi*, vel *corrigendi* juris civilis gratia à Prætore urbano vel peregrino ſit introductum. Præcipuam Juris Romani partem tum temporis hoc continebat, poſtquam à Juliano collectum, & ab Hadriano Imperatore confirmatum erat. Inde *perpetui Edicti exemplo* reſpondit in *l.* 77. §. 29. *D. de Legatis lib.* 2. neque tamen ad illud libros commentarios ſcripſit; forte quod tot alii hac opera jam præclare defuncti, vel quod mallet, cum

Cicerone

Cicerone ex intima Philosophia juris disciplinam pertractare, atque versari in legibus civilibus, quarum memoria & observantia tum apud vulgus pæne extincta. Incertum præterea fuerat hoc jus, nec aperte, sed meris fictionibus, ac diversis nominibus uni rei impositis, jus civile corrigebat, quod & ipsi Paullo, alias subtilissimo, displicuisse videtur, in *l.* 112. *D. de Regulis Juris*. Interim *propter publicam utilitatem*, quæ justi prope mater & æqui est, non modicam Edicta acceperant auctoritatem, & ad honorem Prætorum *Honorarium jus* vocabantur. Non eo sensu, quo hac voce utimur, de iis rebus, quæ in solam speciem, non vero actu sunt tales; ut *honorarii* tutores, *honorarii* tumuli: sed honor idem hic est, ac Magistratus imperium, quod, Consulibus ad bellum profectis, maximum erat in Prætore, unde Ovidius *Prætorem honoratum* dixit, & in Inscriptionibus passim PLEBS URBANA ET HONORE USI. Qua de re propediem, Deo volente, in Historia Edicti perpetui, jam dudum prælo destinata fusius. Superest ut de juris non scripti studio dicamus. Hoc totum in consuetudine & moribus populi Romani positum erat, & quia proprio carebat nomine, commune juris civilis nomen, ob sui dignitatem

& præstantiam, assumsit. Ita quod *moribus* improbatum ait Papinianus in *l.* 27. *D. de Pactis dotalibus*, id Paullus & Ulpianus *jure civili* interdictum scribunt, in *l.* 5. §. 1. *D. eodem* & *l.* 5. §. 9. *D. de Jure dotium.* Sæpius autem ad mores majorum provocat in *l.* 1. §. 1. *D. de Officio ejus cui mandata est jurisdictio*, & alibi, quia Romani morem suum valde colebant. Cicero in Topicis, ait, *Jus civile non minus in more consistit, quam in Legibus.* & Quintilianus lib. V. cap. 10. *Pleraque in jure, non Legibus, sed moribus constant.* Huc autem referenda non modo, quæ ex patriis moribus Legibus XII. Tabularum fuerant inserta, vel quæ in eas non redacta tamen valuerunt; sed quicquid uberius atque utilius in foro vexata, agitata & examinata sæpius disputatio, ac interpretatio Jurisconsultorum habita in auditoriis & cognitionibus Principum aut magistratuum invexerat, id jus erat, quod moribus introductum dicitur, in *l.* 2. §. 5. *D. de Origine Juris.* Ex hoc noster in *l.* 5. *D. de Transactionibus* eleganter definit: *Liberalitatem enim captiosam interpretatio PRUDENTIUM, fregit.* Iterum in *l.* 36. *D. de Statuliberis* notanter: *In tabulis secundis filio servum data libertate substitutum jure statuliberi PRUDENTES munierunt,*

quod

quod utilitas recipit. Rursus in *l.* 54. *Mandati: Placuit enim Prudentioribus, affectus rationem in bonæ fidei judiciis habendam.* Et de hoc jure intelligendus, ubi simpliciter voce *placuit* utitur, id est, visum fuit juris auctoribus, in *l. ult. D. de His qui notantur infamia l.* 7. *D. de Fidejussoribus tutorum. l.* 69. §. 2. *D. de Legatis lib.* 2. *l.* 17. *D. de Quæstionibus.*

§. VII. Omnis itaque juris peritum vidimus Papinianum. At quia non is, qui leges universas memoria tenet, nec qui earum subtilitates scriptis explicare didicit, Jurisconsultus est; oportet addamus, quam recte Æmilius expleverit veri Prudentis, & viri boni munus. De architectis scribit Vitruvius lib. I. cap. 1. *Qui sine litteris contenderunt, ut manibus essent exercitati, non potuerunt efficere, ut haberent pro laboribus auctoritatem. Qui autem rationibus & litteris solis confisi fuerunt, umbram, non rem persequi videntur: At qui utrumque perdidicerunt, uti omnibus armis ornati citius cum auctoritate, quod fuit propositum, sunt assecuti:* Idem de Juris studiosis dici potest. Qui sine solida juris cognitione foro se mancipant, rabulæ evadunt, sordidam prostantis vocis altercationem, aut stili mercenarii saccularium operam profitentes. Contra,

qui rerum divinarum atque humanarum prudentiam sola critice metiuntur, umbratici tantum Jurisconsulti sunt, scholæ non vitæ studentes, quum in facili etiam juris articulo enodando obmutescant. *In medio rerum & hominum vitam qui colunt, ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora.* ajebat Gellius lib. XX. cap. 10. Beatus ille, qui emensis rite Theoriæ spatiis, ad album & rubras majorum leges se confert; hunc enim certa spes manet, ut domi consultorum frequentiam habeat, & ad amplissimas curias promoveatur. Ita se gessit Papinianus, usum sine juris scientia, & hanc sine usu minimum prodesse ratus. Usu autem assiduo & ingenium & artem vicit, adeo ut nulli Jurisconsultorum, vel in legibus & æquitate respondenda, vel in jure controverso interpretando, vel in cautionibus suggerendis, vel in componendis actionum formulis fuerit secundus. Cicero Philippica IX. admirabilem Servii Sulpitii in legibus æquitate interpretandis scientiam fuisse ait, *cum non magis juris, quam justitiæ consultus esset, & jus civile ad æquitatem referret.* Idem pro Cæcina cap. XXVII. Servii præceptorem Gallum Aquilium laudat, *quod juris civilis rationem nunquam ab æquitate sejunxerit, qui ita justus*

ac

ac bonus vir fuerit, ut natura, non disciplina consultus esse videatur. Egregia laus: sed quam ampliorem meretur Papinianus, quod in negotiis publicis & privatis, in contractibus & testamentis, in omnibus juris quæstionibus, artem æqui & boni temperavit. Sicubi enim jus cum æquitate, vel scriptum cum voluntate contendere videbatur, si quid dictum esset ambigue, si quod verbum obscurum, illud ita interpretatus est, ut ubivis majorem æquitatis, quam stricti juris rationem haberet. Non utar ad hoc demonstrandum *l.* 48. *D. de Rei vindicatione*, *l.* 20. *D. de Tutelæ & rationibus*, *l.* 70. §. 1. *D. de Legatis lib.* 1. *l.* 77. §. 29. *de Legatis lib.* 2. *l.* 47. *D. de Fidejussoribus*, in quibus æquitatis meminit diserte. Instar omnium sint sequentes: In *l.* 8. *D. de Pactis*, ait: *Humanior sententia à Prætore eligenda est*; In *l.* 13. *D. de Testibus*, regulam ponit: *Quod legibus omissum, non omittetur religione judicantium.* In *l.* 17. *D. de Injusto rupto*, sententia est: *Licet subtilitas juris refragari videtur, attamen voluntas testatoris ex æquo & bono tuebitur.* Quanquam autem ex his pateat, nullum æquitatis amantiorem fuisse Papiniano, à latere tamen adoriuntur eum nonnulli, imi & superioris ordinis interpretes, duram & improbandam ejus clamantes

 senten-

ſententiam, qua in *l. 2. D. Qui potiores in pignore* reſpondit: Eum, qui generaliter bona debitoris pignori accepit, potiorem eſſe eo, cui poſtea res certa ſpecialiter obligata eſt; quamvis ex ceteris pecuniam ſuam redigere poſſit. Cyprianus quippe Regnerus ab Ooſterga Diſputatione XXXI. §. 7. uſu abrogatum hoc caput aſſerit: *Quoniam indulget malitiis, dum permittit creditori generali, ut poſſit rem ſpecialem poſteriori creditori obligatam auferre, quamvis ex ceteris bonis ſibi ſatisfacere poſſit.* Nec is ſolus. Schilterus quoque Exercitatione XXXIII. §. 32. jurisdictionem hic temperandam monet, ut hypotheca ſpecialis integra ſervetur creditori poſteriori, ſi prior univerſum debitum ex ceteris bonis redigere poſſit. *Id enim*, ait, *jus naturæ præcipit, ut quicquid ſine detrimento poſſit concedi, id tribuatur cuique, etiam ignoto.* At non difficile erit amoliri horum, & quotquot alii ſunt, cenſuram iniquitatis. Sæpe enim varieque in libris juris civilis repetitam legimus regulam: Prævalere qui prævenit, & jure potiorem eſſe, qui tempore prior eſt, *l. 11. pr. l. 12. §. 2. D. l. 2. 4. 7. 8. C. Qui potiores in pignore.* Jam autem oratio generalis ſermonis compendio res ſingulas, & omnes ſpecies comprehendit; unde jus in omnia bona

bona creditori priori quæſitum, facto debitoris auferri nequit. Non inficiamur, humanius facere primum, ut abſtineat re ſpecialiter obligata, ſi id ſine incommòdo ſuo facere poſſit: at ejusmodi humanitatis officia, certis caſibus uſum habitura, non poſſunt à Legiſlatore civibus præſcribi in neceſſitatem, qua juri ipſorum perfecte acquiſito derogetur, ut recte reponit Huberus in Eunomia *ad hanc l.* Quod autem de uſu fori contrario Cyprianus movet, ad curias Hollandiæ pertinet, propter ſpecialem *Ordinat. Polit. Holl. art.* 35. Moribus Germaniæ ſane non eſt dubium, quin ſecundum Papiniani ſententiam, in ſummis Imperii & provinciarum dicaſteriis, quotidie pronuncietur, teſte Mevio *ad Jus Lubecenſe part.* 3. *tit.* 1. *art.* 12. *n.* 60. Gailio *lib.* 2. *Obſ.* 25. *n.* 3. & 4. Mynſingero *cent. VI. Obſ.* 94. Kœppen *deciſ.* 28. *n.* 6. Carpzovio *part.* 1. *conſt.* 28. *def.* 128. & *Deciſ.* 62. ubi diverſa præjudicia.

§. VIII. Æquus igitur fuit in conſiliis & juris interpretatione. Nunc, ut Jurisconſultum ſiſtamus omnibus numeris abſolutum, quid in cautionibus & formulis præſtiterit, reſtat inveſtigemus. Cautiones intelligo remedia, quibus Jurisconſulti clientes ſuos, in illis rebus, quibus vitæ ſo-

cietas continetur, adversus dolos & circumscriptiones aliorum, securos præstabant. Formulæ autem solennes erant verborum conceptiones, in rebus non tantum judicialibus, sed & extrajudicialibus, in emancipatione, cessione, sponsalibus, conventione in manum, cretione, & quæ sunt generis ejusdem, constitutæ. Utræque ad munus Jurisconsultorum pertinent, quos, exigente Tullio, *& ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritos* esse oportet; utræque etiam viam ad opes & honores aperiebant, auctore eodem lib. II. de Officiis cap. 19. *In jure*, inquit, *cavere & consilio juvare, atque hoc scientiæ genere prodesse quamplurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam.* Ita autem cautiones Papinianeæ sunt comparatæ, ut, si cum cautelis Cæpollianis eas conferre placet, verissimum esse deprehendamus, nostras declinationem mali, illas callidæ molitionis fraudem; nostras simplicitatem, illas subtilitatis gloriam; nostras consilium, illas crimen aviditatis spirare. Ut Aquilii prudentiam in *cavendo*, non in *decipiendo* olim perspectam habuit Populus Romanus, sic nos cum stupore miramur Papinianum; cujus quot Eurematica, totidem Themidis Oracula esse videntur. Non longi erimus

in

in his recenſendis, quia Henricus Brenckman, Vir Cl. capite XII. eruditiſſimæ ſuæ de Eurematicis diatribæ, otium nobis fecit. Eleganter enim docuit εὕρημα eſſe in *l.* 8. §. 5. *D. de Inofficioſo teſtamento.* quemadmodum nempe teſtamentum, in quo pupillaris ſubſtitutio eſt facta, nunc pro duplici teſtamento habendum ſit, nunc pro uno duarum cauſarum. Alia in *l.* 3. §. 11. *D. de Peculio*, *l.* 24. *D. Depoſiti*, *l.* 25. *D. de Adminiſtratione & periculo tutorum*, *l.* 12. *D. de Vulgari & pupillari ſubſtitutione* & *l.* 77. §. 31. *D. de Legatis lib.* 2. latere oſtendit & explicuit. Addi poteſt *l.* 11. §. 2. *D. de Duobus reis*, ubi reſpondet, partes viriles deberi: *quia non fuerat adjectum, ſingulos in ſolidum ſpoſpondiſſe, ut duo rei promittendi fierent.* Non quaſi præciſe illud exprimendum fuiſſet, ſi ſinguli in ſolidum ſe obligare vellent, nam & tacito intellectu id fieri poterat, ante Novellam 99. & ſufficiebat, creditorem ſingulorum perſonas in ſolidum intueri, *l.* 8. *D. eodem*, *l.* 47. *D. Locati.* Sed quia non facile probatu erat, quando habuiſſent hoc in animo contrahentes, ut duo rei conſtituerentur, igitur ambiguitatis tollendæ cauſa, ſuadet ut adjiciatur. Multa alia exempla Cujacius in commentariis obſervavit. Nec minor formu-

larum seges est; vel sola consideretur notabilis illa, de actibus legitimis regula, in *l.* 77. *D. de Regulis Juris*, ubi quinque illos, qui natura sua conditionem & diem rejiciunt, à ceteris distinguit accurate. Cautionem cum formulis habes in *l.* 33. *D. de Negotiis gestis: Prudentius faciet, si ad exhibendum, vel negotiorum gestorum fuerit expertus*, & pleni harum sunt ejus Responsorum libri. Quid mirum! Advocati munere functus est, cujus proprium erat, litigandi ut & rerum privatarum formulas præscribere; sine quibus in Urbe, verbis solennibus adsueta, nil rite, nil legitime fieri poterat. Quod autem nonnulli contendunt, jam Marcum Imperatorem plurimas hujusmodi formulas bono litigatorum correxisse, id quidem ex Aurelio Victore non probant, qui de *solenni vadimoniorum remoto* tantum loquitur: Omnes quoque nunc sciunt, à Constantio demum formulas esse sublatas; cum ejus pater Constantinus veterum calumniosas ambages, & captandæ simplicitatis laqueos jam ante perdidisset.

§. IX. Priusquam hinc discedamus, rationes Papiniani, ad decidendas controversias passim allatas, sub examen revocare lubet. Cum enim jus in ratione sit positum, eaque verissima juris atque injuriæ regula habea-

habeatur, omne profecto tulit punctum, si genuinas & solidas Responsis suis adjecit causas. *Ratio*, quidam Rhetor ait, *animus est & medulla legum, quæ æquum & bonum tuetur*. Senecæ autem tempore tanta Jurisconsultorum fuit auctoritas, ut responsa eorum valerent, etiamsi ratio non redderetur. Multa etiam ejusmodi in Digestis supersunt, quæ nulla ratione fulciuntur. At mira ubique in Papiniani scriptis est vis consequentiarum, certatque ponderis subtilitas, ut nihil magis ad Mathematicorum laudem accedere videatur, si rationum acumen spectes. Est tamen ubi eum piget verbose rationem reddere, maxime si facile animo comprehendi potest. In *l.* 20. *D. de Compensationibus* ait: Curatorem ob negotium copiarum condemnatum, pecuniam jure compensationis retinere non posse, *quoniam ei non compensantur*. Quæ ratio non petit principium, ut Antonio Fabro in rationalibus videbatur: sed idem est, ac si dixisset, non compensantur; quia constitutum est, non compensari. Similem in modum Callistratus in *l. ult. pr. D. de Officio Procuratoris Cæsaris*, Paullus in *l.* 25. §. 9. *D. Familiæ erciscundæ*, & Marcianus in *l.* 91. *D. ad Legem Falcidiam*. Est etiam ubi angustior ejus ratio apparet. Quod enim per manus

manus traditum eſt, codicillis hereditatem dari non poſſe, id in *l.* 10. *D. de Jure codicillorum* illam rationem habere ait, quia alioquin teſtamentum vires acciperet per codicillos. At hanc convenire non poſſe codicillis ab inteſtato factis, Radulphus Fornerius lib. III. rerum quotidianarum cap. 23. obſervavit. Sed nec melior eſt, quam ex nominum diverſitate petit Conſtantinus in *l.* 7. *C. de Codicillis.* Illud magis turbat, quod Paullo, acutiſſimo Juriſconſulto levior ejus ratio videtur, quam ut ſufficiat. Ubi enim in *l.* 1. §. 2. *D. de Uſuris* tradit, Judicem non poſſe à condemnato exigere cautionem, de pendendis uſuris poſt tempora judicati; hac utitur ratione, *quia in poteſtate actoris eſt, judicatum exigere.* Sed Paullus eum reprehendit, alia ſubjecta ratione: *Quid enim pertinet ad officium judicis futuri temporis tractatus?* Cui Cujacius in commentario ad hanc legem, & Noodtius lib. III. de Fœnore & uſuris cap. XI. adſtipulantur. Non etiam ratio bona videtur Accurſio, quam adfert in *l.* 21. D. *de Senatusconſulto Silaniano:* Senatui nimirum placuiſſe, domino à familia occiſo, tempus petendæ bonorum poſſeſſionis proferri, *ſervorum cauſa, quorum libertatem, quæſtionis habendæ gratia, negligi neceſſe eſt.* Nam ex conſti-

constitutione Trajani de libertis etiam quæstio haberi poterat, *l.* 10. §. 1. & *l.* 11. *Eodem.* Rectius ergo Ulpianus in *l.* 1. *h. t.* ideo familiam necatorum quæstioni subjiciendam ait, quod aliter nulla domus tuta esse possit, nisi periculo capitis sui custodiam dominis præstare servi cogantur. *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur*, ait Cassius hac de re apud Tacitum lib. XIV. Annalium cap. 44. Minus item adæquatam Papiniani rationem, in *l.* 33. *D. in fine de Usufructu*, sugillat Clarissimus Schilterus Exercitatione ad Pandectas XVII. §. 55. Atque in eodem vitio cubare *l.* 15. §. 1. *Si cui plus quam per Legem Falcidiam*, reprehendit idem Exercitatione XXXIX. §. 135. Quid dicemus? Homo fuit Papinianus, non Deus; nec omnium exacta ratio reddi poterat. Plerisque etiam Jurisconsultis familiare esse, ut regularum juris, quas à majoribus per manus acceperant, rationes neque nimium diligenter conquirant, neque reddant nimis bonas, Cujacius animadvertit lib. XVII. Observationum cap. 15. & Anton. Matthæus Disputatione fundamentorum X. Accurate, ut omnia, Hermannus Conringius de Prudentia civili cap. XIV. scribit: Rationem latæ cujusque legis fere

fere latere, quum rariſſime adjici ſoleret, aut quæ adderetur, in ſpeciem plerumque adferri, diſſimulata vera legis cauſa: ac proinde vix quemquam, niſi ſagacem, ac rerum, temporum locorumque peritum, arcanam legis cauſam divinando aſſequi poſſe; idque veriſſimum etiam eſſe de iis rationibus, quæ aut præmittuntur, aut ſubjunguntur Juſtinianeis quibusdam; non tuto videlicet iis credi, & ſæpenumero aliud longe, quam loquantur verba, prudentiſſimum legiſlatorem intendiſſe.

CAPUT XI.

EJUS PRAECEPTOR, DISCIPULI, SECTA.

§. I. *Provinciales juris diſcendi gratia Romam profecti: ubi Marci tempore Scævola, Papiniani & aliorum præceptor, palmam Jurisprudentiæ tenebat.* II. *Eum non videri Muciorum gentilem, nec à Tryphonino irriſum. Fuit Græce doctus, & affectator antiquitatis; In reſponſis brevis, & ideo obſcurus; Quid ſit Signum Dei in ejus l. 38. §. 2. D. de Auro argento.* III. *Papinianus ſuperavit præceptorem, quod de voluntatis etiam quæ-*

ſtionibus

stionibus respondit, & laudem integritatis apud omnes servavit. IV. *Ejus sententia contra Scævolam confirmata in l. 28. D. de Jure fisci, l. pen. D. Qui sine manumissione, l. 11. §. 2. ad Legem Falcidiam, & fortassis in l. 41. pr. D. de Vulgari & pupillari.* V. *De discipulis Papiniani Lampridii locus purgatus & illustratus.* VI. *Nulli Sectæ totum se addixit, quasi ercifcundus; in Sabini sententias tamen magis pronus.*

§. I.

CONsideravi singulas Jurisconsultorum coryphæi dotes, qua potui, diligentia & cura: nihil tamen effeci, nisi simili modo explicem, quo usus fuerit præceptore, quos habuerit discipulos, & cui denique sectæ fuerit mancipatus. Præceptorem nos ignorare noluit Spartianus, cum in vita Caracalli cap. VIII. scripsit: *Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Severo, memoriæ traditur - - eumque cum Severo professum sub Scævola.* In Urbem nimirum hoc tempore juvenes, ex omnibus Romani Imperii provinciis, tanquam ad mercatum studiorum & bonæ mentis officinam, confluebant. Syria quidem, etiam Emisa, optimorum Rhetorum &

& Philoſophorum habebat copiam; at Romæ duntaxat & Beryti publice Juris tradebatur diſciplina: nec alibi, quam Romæ, litteras Latinas addiſcendas eſſe contendebant ſapientiores. Incommodum valde id accidit Provincialibus, quorum omnium intererat, jus commune haud ignorare; ipſa etiam Roma ob mores diſſolutos, & luxum ingentem, erudiendæ juventuti prorſus erat inepta; non tamen eſt, quod dubitemus, magno numero juvenes, legum addiſcendarum gratia, illuc migraſſe. Hinc provinciales ibi, velut in ſtudiorum nutricula, egiſſe dicuntur, in *l.* 18. §. 1. *D. de Judiciis l.* 17. *D. de Rebus creditis*, *l.* 36. *D. ad Municipalem*. Adoleſcens quidam Romæ degens, apud Philoſtratum de vita Apollonii lib. VII. cap. 42. inquit: *Arcas cum ſim, Meſſena ortus, Græcis me pater non inſtituit moribus, ſed huc miſit, ut jura diſcerem.* Claudianus eam idcirco Panegyrico III. in laudes Stiliconis *Armorum legumque parentem* vocat: Sidonius Apollinaris lib. I. epiſtola 6. Eunapium hortatur, ut juris diſcendi gratia Romam pergat, *ad domicilium legum & gymnaſium literarum*. Rutilius Numatianus lib. I. Itinerarii verſu 207. de Palladio:

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Miſſus, Romani diſcere jura fori.

Singu-

Singularis autem sub Papiniani adventum Quinti Cervidii Scævolæ erat gloria, ad quem, velut alterum Livium, audiendum, è longinquis provinciis flos juvenum concurrebat. Florebant circa idem fere tempus Cajus, Pomponius, Mæcianus, Marcellus; sed hunc ducem is sibi sequendum delegit inprimis, nil quicquam privatis laboribus sine Doctore fidens. Suo jam tempore ad Trebatium scripserat Cicero lib. VII. Epistola 19. *Jus civile vestrum ex libris cognosci potest? Qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen lumenque desiderat.* Ejusdem Scævolæ scholas alios frequentasse verisimile est. De Julio Paullo & Claudio Tryphonino vel inde constat, quod ille fere semper, hic aliquoties Scævolam *suum* appellat. Paullus in *l.* 24. §. 2. *D. de Minoribus l.* 19. §. 1. *D. de Negotiis gestis l.* 32. *D. de Excusationibus l.* 38. §. *ult. D. de Vulgari & pupillari substitutione l.* 6. *D. de Rebus auctoritate judicis possidendis.* Tryphoninus in *l. pen. D. de Castrensi peculio l.* 12. *D. de Distractione pignorum.* ubi: *Scævola noster restituendam probavit.* Non quidem ea ratione, qua Pomponius in *l. pen. D. de Stipulatione servorum* Gajum suum appellat, *Et non sine ratione est quod Gajus noster dixit.* Hi enim iisdem florebant temporibus, &

amici erant; ſed quemadmodum Strabo & Seneca *Zenona ſuum* vocant, & Juſtinianus in proœmio Inſtitutionum §. *6. ex commentariis Gaji noſtri* dixit: ab hoc enim profecerat, eoque auctore in elementis ſuis concinnandis, ſicut Paullus Scævola in jure reſpondendo, præcipue fuerat uſus.

§. II. Propter magnam juris civilis ſcientiam, quam Cicero *patrimonium Scævolarum* vocat, Scævola cognomen forſan tulit. Nec enim veriſimile eſt, quod Cujacius ad l. 10. §. 2. D. de Uſurpationibus affirmat, eum Muciorum gentilem fuiſſe; cum quibus præter juris cognitionem & cognomen nihil habuit commune. Gens autem ex nomine cognoſcitur. Pejus Johannes Glandorp in Onomaſtico Romano, Feltman ad Pandectas pag. 77. & minorum gentium interpretes alii, cum Q. Mucio eum confundunt; quem trecentorum annorum ſpatio contingit. Magnum ejus ingenium laudat Tryphoninus in *l. 109. D. de Conditionibus & demonſtrationibus*, non Saturninus, ut Cujacius in vita Papiniani & Jacobus Gothofredus ad *l. 3. C. Th. de Teſtamentis* perperam ſcripſere. Iſte enim præ nimio ſtudio notas in Scævolam ſcripſit, non hic. Alciato lib. IV. Parerg. cap. 1. & Schiltero Exercitatione XXXIX. §. 128.

128. Scæuola heic non extolli, sed εἰρονικῶς perstringi videbatur: magno scilicet ingenio de jure aperto, de quo nemo in thesi dubitat, eum respondisse; cum possit tamen in applicatione illius regulæ, ad speciem propositam, adhuc dubitari, num conditio esset, nec ne, & annon potius modus, cui utique heres parere potest. Sed ratio respondendi obstat, & satis hoc refellit Pancirolus lib. II. Variarum lectionum cap. 103. Modestinus in *l.* 13. §. 2. *D. de Excusationibus* Scævolam & Paullum & Ulpianum Κορυφαίους τῶν νομικῶν *Principes Jurisperitorum* vocat. Arcadius & Honorius *Prudentissimum* Jurisconsultorum in *l.* 3. *C. Th. de Testamentis.* Et sane insignis ejus prudentiæ argumentum est, quod de jure consultus ex ipsius facti recessibus rationum suarum vim extulit; quia jus in causa positum, ajebat Alfenus in *l.* 52. §. 2. *D. ad Legem Aquiliam.* Tum etiam quod hoc in more habuit, ut in respondendo ne latum quidem unguem à jure Constitutionibus firmato recederet. Vide *l.* 47. *D. Soluto matrimonio.* Accuratam hanc de jure respondendi prudentiam miratus Antoninus *usus est Scævola præcipue Jurisperito* inquit Capitolinus in ejus vita cap. XI. & hic vicissim, quanti Principem suum fecerit, in *l.* 3. *D. de Na-*

talibus restituendis testatus; ubi *Sanctissimum & Nobilissimum Imperatorem* eum appellat, sicut Cajus *Sacratissimum* in *l. 9. D. ad Senatusconsultum Tertullianum*, & Papinianus *Providentissimum Principem* in *l. 67. §. 1. de Legatis lib. 2.* eundem dixerunt. Græce admodum fuit peritus, & raro invenias legem Græcam, quæ non sit Scævolæ aut Modestini. In sermone Latino affectator fuit antiquitatis. Solus cum Papiniano *abstentum pupillum* dixit, quem tutor ab hereditate paterna abstinuit, in *l. 44. D. de Pactis, l. 79. ad Senatusconsultum Trebellianum, l. ult. D. Si quis caution.* Insolens quoque vox est *minorato pretio vendidit*, in *l. ult. D. de Servis exportandis.* Facundiæ vis ei non defuit, sed, quemadmodum in stilo, sic in Responsis Laconicam nimis brevitatem amavit. Anantapodoton ejus in *l. 14. D. de Transactionibus* animadvertit Petrus de Toullieu, Vir Clarissimus, de quo Academiæ Groninganæ gratulor vehementer, in dissertatione de Anantapodotis in jure occurrentibus. In *l. 66. pr. D. de Donationibus inter virum & uxorem* sollenne illud *respondit* nos subaudire jubet. In *l. 18. §. 1. D. de Annuis legatis* totum responsum in verbo *competere* consistit. In *l. 102. §. 3. de Legatis lib. 3.* voce *danda* quæ-

stionem

ſtionem reſolvit. Adde *l.* 44. *D. de Receptis qui arbitrium receperunt*, *l. ult. D. de Rebus dubiis*, *l.* 93. §. *pen. D. de Legatis lib.* 3. *l.* 122. §. 4. *de Verborum obligationibus*, ex quibus collegit Carpzovius parte I. Deciſionum illuſtrium 85. num. 3. non peccare Juriſconſultos, qui breviter uno vel altero verbo reſpondent, quid ſibi videatur de facto, ſuper quo fuere conſulti, utque rationes ſententiis à ſe latis addant, nihil eſſe neceſſe: verum alia tempora alios mores poſtulant. Obſcuritatis in Scævola argumentum eſt, quod inter leges damnatas, legibus quoque ejus locus fuerit datus. Nevizanus Sylv. Nupt. v. c. 33. his verbis de eo conqueritur: *Nempe Scævola ſolet truncata reſpondere, atque dicta ejus indigent ſuppletione.* Chriſtianis faviſſe videtur, quod Sejæ heredibus reſponſum dedit, quæ in teſtamento ita caverat: *Jubeo ſignum Dei ex libris centum in illa ſacra æde & in patria ſtatui*, in *l.* 38. §. 2. *D. de Auro argento legato.* Sic enim Græci accipiunt, & *ſignum Dei* reddunt *Crucem*, pariter ac in Theodoſii l. unica C. Nemini licere *Signum Salvatoris Chriſti*, & in l. 18. C. Th. de Judæis: *ſignum fidei noſtræ*, & in l. 25. C. Th. de Paganis *ſignum venerandæ religionis Chriſtianæ*, & apud Firmicum de errore

 profeſſ.

profeſſ. relig. p. 76. *venerandum ſignum crucis* vocatur. Sed nihil horum. Signum Dei imaginem fuſilem hic notat indigenæ cujuspiam & familiaris Dei. Ita ſigna Veneris, Cupidinis, Apollinis, Herculis paſſim apud Ciceronem lib. IV. in Verrem, & lib. VI. in eundem: *Delum venit, ibi ex fano Apollinis clam ſuſtulit ſigna pulcherrima atque antiquiſſima.* Deum autem multoties Jurisconſulti numero ſingulari uſurpant, quia unum ſolummodo credidere, *l.* 1. §. 5. *D. ad Legem Falcidiam l.* 4. §. 1. *ad Legem Juliam peculatus.*

§. III. Tanto duce & auſpice intra breve temporis ſpatium ad Jurisprudentiæ arcem aſcendit noſter, imitatus nautas, qui celeri curſu in portum devehi, quam ſegnibus ventis diu ludi malunt. De Themiſtocle legimus, quod interrogatus, cur noctes inquietas exigeret, reſponderit: *Per Miltiadis tropæa ſe de ſomno excitari:* Ita noſtrum dormientem excitarunt honores & encomia Magiſtri ſine exemplo maximi, ſic ut eum non ſolum æquarit, ſed etiam ſuperarit. Id mordicus tenuit Scævola, ut ne de quæſtionibus ullis facti reſponderet; conjecturales illos & præſumtionum tractatus ad Oratores magis, quam Jurisconſultos, pertinere ratus. Obſervat Franciſcus Duarenus ad

ad *l.* 122. *D. de Verborum obligationibus*, triplicem ei modum in usu fuisse: nunc enim, ut olim Gallus Aquilius, *de jure non quæri* respondit: nunc conditionem, quæ ad factum, quod incertum est, respiciat, adjiciebat: nunc solenni formula sua, *Secundum ea, quæ proponerentur*, utebatur. Sunt, qui hæc non intelligentes pravis eum consiliariis comparant, qui veri copiam non faciunt, sed suspensa & quo ducantur inclinatura respondent; à quibus tamen conviciis Robertus lib. IV. Sententiarum cap. 16. prolixe eum absolvit. Dura nimis est censura Connani: *Permulta alia Scævolæ responsa notare licet*, inquit, *æque absurda, & ut dicam, quod sentio, fatua & inepta. Fuit hoc Scævolæ proprium responsis ambiguis tela reprehensorum eludere: Ut si qua parte premerentur, declinaret in aliam, & commodo suo responsa sua interpretaretur. In quo illum ego non reprehensione modo, sed etiam pœnâ dignum fuisse judico.* Non hic cum Cujacio dicam, Connanum doctissimum fuisse virum, sed non juris, perdi tempus, si in ejus commentariis ponatur. Jam enim Bartolomæus Fajus, tutor libri ejus posthumi quasi honorarius, in Præfatione secunda, hoc in iracundiam Connani, quod aliquandiu in Scævolæ responsis occupatus extri-

care ſe non potuiſſet, rejecit. Quanquam ignorare non debuerat, quod Cicero pro Cornelio Balbo memoriæ prodidit, Q. Scævolam Augurem, hominem juris peritiſſimum, cum de jure prædiatorio conſuleretur, conſultores ſuos nonnunquam ad Furium & Caſellium prædiatores rejeciſſe: quia id jus, Edicto licet comprehenſum, plurimum facti, moris & conſuetudinis habebat: ejus autem veſtigia noſtrum preſſiſſe. Interim, ſi verum amamus, majori laude digni videntur Jurisconſulti, qui non tantum de jure aperto, ſed & de ſcripti & voluntatis quæſtionibus conſultores incertos & dubios, certos à ſe dimittunt. Omnis quæſtio juris, auctore Quintiliano, aut *verborum proprietate*, aut *æqui diſputatione*, aut *voluntatis conjectura* continetur. Ubi enim contrahentes vel teſtatores nihil expreſſerunt, aut obſcure locuti, aut qua mente hoc illudve fecerint ambigitur, prudentia opus eſt, qua animi conjecturæ ducantur, & obſcuritas enodetur. Quam late præſumtionum pateat campus, vel ex unico titulo Pandectarum de rebus dubiis, ut ſpiſſa Alciati & Menochii volumina mittam, apparet. Hac autem parte Papinianus præceptorem ſuperavit, dum in facti etiam quæſtionibus prudentiam ſuam & judicii vim ita

ita ostendit, ut simul omnibus præriperet palmam. In l. 11. §. 12. D. ad Legem Juliam de adulteriis: *Tam ad juris, quam facti quæstionem motam respondit.* Sic eleganter in *l.* 31. *D. de Donationibus* indicat conjecturas, è quibus maritalis affectio & honor plenus eliciatur: *personis*, ait, *comparatis, & vitæ conjunctione considerata.* De commorientibus, & uter horum, pater an filius præmortuus esse censeatur, multi veterum extant loci, quibus secundum speciem propositam, semper rapitur occasio, quæ præbet benignius responsum: sed inter pulcherrimos est *l.* 26. *D. de Pactis dotalibus.* Maximus item pietatis liberorum erga parentes, & horum erga filios fuit æstimator. Inde nunc pro liberis, nunc pro parentibus conjecturam pietatis capit in *l.* 102. *D. de condit. & l.* 15. §. 1. *de Inoff. testamento.* Sic tacitum inducere fideicommissum natura difficile agnovit Quintilianus; at quis enumeret omnia à nostro inducta? *In fideicommissis*, generaliter ait, *voluntatem spectari convenit*, l. 57. §. 1. ad SCtum Trebellianum. Et *in causa fideicommissi, utcunque precaria voluntas quæreretur, conjectura potuit admitti*, in l. 64. D. de Legatis lib. 2. Atque ita satis probatum dedimus, Papinianum longe multumque ingenio & judicii acumine Scævolam su-
 perasse.

peraſſe. Quid ſi addam viciſſe magiſtrum candore etiam, quod caput eſt, & integritate mentis? Immo addam, nec mea, ſed Illuſtris Noodtii fide. Is enim lib. II. Probabilium cap. 2. & cap. 22. de Pactis, excuſſis diligentiſſime omnibus conciliandi mediis, Scævolam in reſponſo *l.* 14. *D. de Transactionibus* amicitiæ aut gratiæ conſulentis aliquid dediſſe opinatur, ut à Juris regulis ſe moveret longius, quam oporteret. Ex ipſo Scævola, & altero ejus textu, in *l.* 3. *D. Eodem tit.* qui ex lib. I. Digeſtorum deſumtus, hoc aſſerit conſtanter; parique infamia Publium Mucium Scævolam, jam antea in quæſtione dotis Licinniæ, gratiæ vel ſordibus dediſſe locum, cenſuit Franciſcus Balduinus in Jurisprudentia Muciana. Non enarrabo, quæ ad Scævolarum defenſionem ingenioſis valde conjecturis attulere Huberus, Bynkershoekius, Toullieu, Beſtius, van de Water, Viri Clariſſimi; ſaltem ſi intra ſpeciem, de qua conſultus fuit Scævola, conſiſtitur, ſalvo jure vix abſolvi poteſt. Nulla autem, ne minima quidem ſuſpicio eſt, quod Papinianum ambitio vel promiſſa merces, partium amor aut odium in transverſum egerit unquam; ſed potius innata ipſi, & ab Imperatore laudata *ſimplicitas*, tum cura propriæ dignitatis, & veritatis

veritatis justitiæque amor ad æqui pronunciationem eum pellexit semper, ut quot ejus responsa, totidem naturæ voces esse videantur. Est tamen, ais, ubi præceptoris exemplo diversum in libris Quæstionum, quam in Responsis tenet. Siquidem eum, qui rogatus est restituere post mortem suam, quod ex hereditate superfuerit, fructus superfluos non retinere tractat in *l.* 3. §. 2. *D. de Usuris*. Contra in *l.* 58. §. 7. *D. ad SCtum Trebellianum* respondet, *fructus superfluos restituere non videtur rogatus*. At verissimum est, quod Cujacius docuit, lib. XII. Observationum cap. 10. negationem hic abundare; id quod ratio subjecta satis demonstrat.

§. IV. Vix mihi tempero, quin superioribus subjiciam species quasdam excellentiores, in quarum decisione à Scævola dissensit & obtinuit. Debuerat quidem Tribonianus hisce tricis Pandectas suas liberare potius, quam involvere; nobis autem gratæ in præsens sunt, quia largam dilaudandi Æmilii materiam præbent. Quemadmodum enim Labeo in his, quæ à præceptoribus accepisset, non perseverabat; sic ille, ubi veritas & æquitas exigeret, religioni non duxit, præceptoris disciplinam, quæ stricti juris semper observantior, deseruisse, *Ho-*

nestissimum

nestissimum esse putans cum Plinio lib. V. epistola 8. *majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.* Nam & à patre Celso dissensit Celsus filius, à maximo Jurisconsulto Jurisconsultus summus, nec ideo pietatis officia neglexit. Prima species sit ista: Si Titio quis obligaverit omnia bona, dein cum Fisco contraxerit, in rebus postea quæsitis Titium Fisco præfert Scævola, *l. ult. pr. D. Qui potiores in pignore.* At contra Ulpianus in *l.* 28. *D. de Jure Fisci* scribit: *Sciendum est, in re postea quæsita Fiscum potiorem esse debere, Papinianum respondisse: quod & constitutum est: prævenit enim causam pignoris fiscus.* Ecce! Ulpianus non tantum provocat ad constitutionem Principis, sed etiam ei præfert auctoritatem Papiniani, quia secundum hujus sententiam Constitutio fuit concepta, & Scævolæ sententia explosa. Aliud dissidium est in specie sequente: Dedi tibi servum ea lege, ut manumittas; sin secus pœnæ nomine stipulor quinquaginta: non manumisso servo agi posse, & pœnam committi, Scævola tradit in *l.* 122. §. 2. *D. de Verborum obligationibus.* Papinianus vero, hac lege apposita, nec ad libertatem consequendam agi debere, nec pœnam commissam esse, ex Constitutione Divi Marci respondit in *l. pen.*

pen. D. Qui sine manumissione. Quanquam enim hæc de mancipiis venditis tantum loqueretur, placuit tamen Papiniano, eam ad servos donatos quoque porrigere, id quod receptum & ab Alexandro Augusto confirmatum est in *l.* 1. *C. Si mancipium ita fuerit alienatum.* Rursus parte quadam per bonorum possessionem contra tabulas heredi ablata, Scævola legata & fideicommissa nihilominus in solidum præstanda contendit, cum in solidum heres extiterit, *l.* 40. *pr. D. de Legatis lib.* 3. At Papinianus rationibus æquitatis & perpetui Edicti exemplo, heredem pro parte ablata relevandum respondit in *l.* 77. §. 29. *D. de Legatis lib.* 2. nam & Imperator Marcus Antoninus decrevit heredes, quibus pars bonorum ablata est, non in ampliorem partem, quam pro ea quæ relicta est, legatorum nomine teneri *l.* 11. §. 2. *D. ad Legem Falcidiam.* In hac quoque specie à Scævola Papinianus diffidere videtur. Finge, heredi instituto coheredem aliumve esse substitutum, rursus secundo tertium quendam substitutum, certi juris erat substitutum substituto intelligi quoque substitutum instituto. Quid autem si prior substitutus ante institutum decesserit, an hujus hereditas ad secundum substitutum pertinebit? Scævola respondit,

secun-

secundum ea, quæ proponerentur, non pertinere, *l.* 47. *D. de Vulgari & pupillari.* Contra Papinianus *non interesse, prior substitutus post institutum, an ante decedat. l.* 41. *pr. D. eodem.* Cujacius; Balduinus & Bachovius Scævolam de pupillari, Papinianum de vulgari accipiunt, addita hac disparitatis ratione, quod in illa non sit periculum, ne quis partim testatus, partim intestatus decedat. Viglius Scævolam respondisse, ait, de duabus hereditatibus; Papinianum de duabus partibus unius hereditatis. Mihi verius videtur, distinctionem illam Scævolæ, primum à Papiniano, dein rescripto Severi & Antonini esse sublatam, hi enim *sine distinctione rescripserunt*, ait Justinianus §. 3. *Inst. de Vulgari substitutione.* Nullum autem cum Antonio Fabro lib. X. Conjecturarum cap. 7. divortium agnosco inter Scævolæ *l.* 29. *D. eodem* & Papiniani *l.* 11. §. 1. *D. de Captivis & postliminio reversis.* Rationibus ejus satisfecit Guilielmus Masius lib. VI. singularium opinionum cap. 16.

§. V. Hactenus de præceptore. Veniamus ad discipulos, quorum permulti sine dubio, magnæ eruditionis & famæ ex ejus ludo, tanquam ex equo Trojano, exierunt. Cicero in libro, quem Oratorem inscripsit, semper

ſemper pulchrum in Urbe fuiſſe ſcribit, jus docere, hominumque clariſſimorum diſcipulis floruiſſe domos: non quidem ut ipſi, more Philoſophorum, eam ad rem tempus ſibi ſeponerent; ſed ut eadem opera, qua conſultoribus reſponderent, ſtudioſis etiam leges interpretarentur. Papiniani ætate, mutatus ille mos videtur, ac publice in ſtationibus jus edoctum & reſponſum fuiſſe, haud obſcure ex Gellii lib. XIII. cap. 13. colligere licet. Bartoli nugas hic non moror, qui *legis* 40. *D. de Rebus creditis* verba illa: *Lecta eſt in Auditorio Æmilii Papiniani* ad auditorium lectionum retulit inepte; ut infra videbimus. Lampridii autem unicum & valde ſingulare eſt teſtimonium, in vita Alexandri Severi cap. LXVIII. quod, quia Viris etiam doctiſſimis errandi occaſionem dedit, integrum appono, ut quid in eo abundet clarius percipiatur. *Et ut ſcias*, inquit, *qui viri in ejus conſilio fuerint: Fabius Sabinus, Sabini inſignis viri filius, Cato temporis ſui; Domitius Ulpianus juris peritiſſimus; Ælius Gordianus, Gordiani Imperatoris pater, & ipſe re vera vir inſignis; Julius Paullus juris peritiſſimus; Claudius Venatus, orator ampliſſimus; Pomponius legum peritiſſimus; Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermo-*

Hermogenes, Venulejus, Triphonius, Mætianus, Celsus, Proculus, Modestinus: hi omnes juris Professores discipuli fuere splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares, & socii, ut scribit Acholius & Marius Maximus. Nemini obscurum esse potest, multos hic in numerum discipulorum Papiniani cogi, qui ætate illum longe antecesserunt: hinc de fide Lampridii jam dubitabat Cujacius & Antonius Augustinus in notis ad librum de Propriis nominibus Pandectarum. Gruterus, Casaubonus & Salmasius, locum corruptum ex membranis Regiis & Palatinis ostenderunt. Desunt enim in his verba sequentia: *Pomponius legum peritissimus, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venulejus, Triphonius, Mætianus, Celsus, Proculus, Modestinus: hi omnes juris professores discipuli fuerunt splendidissimi Papiniani, & Alexandri Imperatoris familiares, & socii, ut scribit Acholius & Marius Maximus.* Quamobrem Salmasius, ope veterum Codicum, locum integrum sic constituit: *Et ut scias, qui viri in ejus consilio fuerint: Fabius Sabinus, Sabini, insignis viri, filius, Cato temporis sui: Domitius Ulpianus, Juris peritissimus: Antonius Gordianus, Gordiani Imperatoris filius, & ipse*

Impe-

Imperator, vir inſignis: Julius Paullus, juris peritiſſimus: Claudius Venatus, Orator ampliſſimus: Catilius Severus, cognatus ejus, vir omnium doctiſſimus: Ælius Serenianus, omnium vir ſanctiſſimus: Quintilius Marcellus, quo meliorem ne hiſtoriæ quidem continent. Salmaſium laudat & ſequitur Menagius cap. XXIII. Amœnitatum. Mihi vero omnia, quæ is induxit, pro ſubdititiis & ſpuriis habenda non videntur, nec habuit Caſaubonus. Multos enim hoc album continet Alexandri æquales, quorum nomina recenſuiſſe Lampridium veriſimile eſt. Et *ſplendidiſſimi* elogium proprium quaſi fuit Papiniani, ut ſupra vidimus pag. 14. nec ineptum gloſſatorem, cujus mala manus & nimia liberalitas hic nocuit, tantæ fuiſſe audaciæ credam, ad Acholium & Marium Maximum ut temere provocaret. Ingenioſa eſt conjectura Jacobi Gutherii de Officiis domus Auguſtæ lib. I. cap. 18. legiſſe hominem quendam temporum ignarum apud eundem Lampridium cap. XVI. *Leges de jure populi & fiſci moderatas & infinitas ſanxit: neque ullam conſtitutionem ſancivit ſine viginti Juriſperitis, & doctiſſimis ac ſapientibus viris.* hunc autem numerum vicenarium ut integrum haberet, aliquot eum Juriſconſultos ex prioribus temporibus adjeciſſe. Plane quod

de Pomponio, Alfeno, Africano, Celso, & Proculo legitur, palam adulterinum est, & eradi debet: nullus enim horum Papiniani discipulus fuit, nullus ad Alexandri tempora pervenit. Ceteris locum relinquendum putem. *Sabinus* enim quidam sub Caracalla Consulatum gessit, testantibus id *l.* 1. *C. de Jurisdictione omnium judicum l.* 6. *C. de Pœnis* & inscriptione Gruteri pag. IV. n. 6.

MESSALA. ET
SABINO. COSS.

Gordianus etiam primum Consulatum iniit cum Antonino Caracalla; secundum cum Alexandro, auctore Capitolino, in tribus Gordianis: hi igitur Papinianum audivisse potuerunt. Nil etiam impedit, quo minus *Florentinum*, *Martianum*, *Callistratum*, *Hermogenem* & *Venulejum* inter Papiniani discipulos referamus. Pro *Mecianus*, *Mecius* vel *Messius* hic recte legendum contendit illustris Eckius ad Titulum de Origine Juris, quem sub Severo & Antonino vixisse constat ex *l. ult. D. de Jure Fisci. Ulpianus* quidem & *Paullus* æquales Papiniani fuisse potius videntur, quam discipuli, ut Cujacius in vita Papiniani animadvertit, nam coæquant se ei quodammodo, & in Præfectura prætoriana ei assedisse dicuntur. Magis etiam est ut *Tryphoninum* condiscipulum, quam

quam auditorem credamus: Scævolam enim ſuum vocat, & in auditorio Papiniani ſuam de controverſia quadam opinionem declaravit, *l.* 78. §. 4. *D. de Jure dotium. Modeſtinus* denique Scævolam, Ulpianum, & Paullum laudat, quaſi coryphæos Juriſconſultorum, non Papinianum; eumque ipſe Ulpianus ſibi vindicat, cum ſtudioſum ſuum vocat, in *l.* 52. §. 20. *D. de Furtis.* Nec tamen prorſus erravit Lampridius, quando hos Papiniani diſcipulos fecit: nam ſi non ætate, voluntate tamen fuerunt & cultu; ut eleganter rem decidit Janus Vincentius Gravina, Vir Cl. de ortu & progreſſu juris civilis pag. 122.

§. VI. Age vero, adhuc poſtremo loco qualem auditores ſuos Jurisprudentiam Papinianus docuerit, perſequamur. Si enim in alia diſciplina inter peritiſſimos fuerunt diſſidia, ſectæ & ſcholæ diſcrepantes, certe in juris arte de ſummis apicibus contrariæ diſputationes inveniuntur. Quintilianus hujus rei non ignarus, ait, Juriſconſultis diverſas inter ſe opiniones tueri conceſſum; & ante eum Cicero pro Muræna ſcribebat: *Si id quod oportet reſponderis, idem videare reſpondiſſe, quod Servius: ſin aliter, controverſum jus noſſe & tractare videare.* Adeo autem ſub Veſpaſiano, Trajano, etiam Adriano

& Pio deferbuit ille disputandi æstus, ut Sabiniani & Pegasiani in multis veritatem, quam sectam, deserere mallent. Hinc Marci & sequutis temporibus qui vixerunt Jurisconsulti moderatiores, Sectis se non manciparunt; sed adhibita magis judicii censura, dissidentes veterum sententias conciliarunt, quæque solidioribus niti principiis videbantur selegerunt; morem stoicorum secuti, quibus familiare erat μέσην ὁδὸν τέμνειν; unde Ercifcundi & Miscelliones dicebantur. Ita Cajus, Pomponius, Ulpianus, Paullus, & in primis noster Papinianus. A præceptore ipsum, ubi ratio suaderet, discessisse observavimus supra, quidni etiam à secta? id sane vel sola prudentia ejus & ingenii magnitudo, ut credamus, jubet. *Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero, multum magnorum virorum judicio credo, aliquid & meo vindico*, cum Seneca Epistola XLV. ipsum dixisse puto. Hinc Sabini sententiam, adhibita distinctione, ita temperare conatus, in *l.* 115. §. 2. *D. de Verborum obligationibus*, ut nec Pegasi opinio rejiciatur. Alibi Labeonem & Pegasum laudat: *Quod quidem Labeo & Pegasus putaverunt utilitatis causa recipiendum: idque ita recipi potest*, *l.* 95. §. 7. *D. de Solutionibus*. Nunc Nervam filium, Proculejanum sequitur

ſequitur in *l.* 47. *D. de Acquirenda poſſeſſione.* Mox Neratio Priſco, ejusdem ſectæ, adſtipulatur in *l.* 19. *D. de Dolo malo* & *l.* 33. *D. de Uſufructu*, mox ſcribit, non eſſe Neratii Priſci ſententiæ locum, *l.* 67. §. 8. *D. de Legatis lib.* 2. Rurſus Juliani, Viri Summi, & Sabiniani, auctoritate utitur tam crebro, ut ipſi pro oraculo, vel pro Magiſtro, ut Accurſius ait, videatur. *l.* 62. *D. de Rei vindicatione*, *l.* 50. *D. de Peculio*, *l.* 67. *D. de Heredibus inſtituendis*, *l.* 43. *D. de Bonis libertorum*, *l.* 26. *Si quis omiſſa cauſa*, *l.* 47. *de Fidejuſſoribus.* Diſerte Juſtinianus in l. 10. C. de Condictione indebiti: *Papinianus autem*, inquit, *ipſi qui utrumque perſolvit electionem donat, & hujus ſententiæ ſubtiliſſimum teſtem adducit Salvium Julianum, ſummæ auctoritatis hominem.* Eundem non inſubtili ratione motum ait in *l.* 11. *D. de Legatis lib.* 2. ejusque ſententiam admittendam pronunciat in *l.* 11. *D. de Bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas*, quam item firmiſſima ratione ſubnixam ait, in ſpecie *l.* 18. §. 3. *D. de Stipulatione ſervorum.* Et tamen eſt, ubi ab eo divortit, in *l.* 66. *D. de Legatis lib.* 2. Quemadmodum vero ceteri miſcelliones Jurisconſulti in alteram harum Sectarum fuerunt proniores, & Ulpianus Proculejanis, Paullus Sabinianis plerumque

 acceſſit;

accessit; sic optime animadvertit Christianus Otto à Bœkelen libello de Diversis familiis veterum Jurisconsultorum cap. VI. Sabini opiniones nostro in primis placuisse. Cujus quidem ratio non sola mihi videtur, quod Sabiniano præceptore Scævola usus, sed in primis etiam, quod ea Schola æquitatis erat studiosa; Proculejani vero subtilitates juris, & strictam disputandi rationem nimis sequebantur, à qua Papiniani mite ingenium abhorrebat. Quanti Cælium Sabinum fecerit, vel inde constat, quod ab eo facile se passus reprehendi, in *l. 6. D. de Servis exportandis*: *Nobis aliquando*, ait, *placebat non alias ex vendito agi posse, quam si &c. Sed in contrarium me vocat Sabini sententia*. Ejus quoque & Cassii Longini (unde Cassianorum nomen) auctoritate suam firmare decisionem amat, *l. 4. D. de Servitutibus*, *l. 28. D. Communi dividundo*, *l. 37. pr. &* §. 2. *D. de Administratione tutorum*, *l. 72.* §. 7. *D. de Conditionibus & demon.* Sic opinio, quam vulgo receptam ait, cujusque rationem reddit in *l. 2. D. de Usuris*, Sabini & Cassii fuit, auctore Paullo in *l. 38.* §. 7. *D. Eodem*. Hoc amplius voce *merito* Sabinum probat in *l. 3. Quando ex facto tutorum l. 71.* §. 3. *de Conditionibus*. Etiam usufructu ædium relicto, non aliud cum Sabinianis

binianis relictum respondit, quam usum, in *l. 27. D. de Donationibus l. 10. pr. D. de Usu & habitatione* juncta *l. 13. C. de Usu & usufructu*. Sic denique contra Proculejanos, Celsum, Ulpianum & Marcellum in illa quæstione: Utri detur repetitio in alternativo debito, si utrumque per errorem sit solutum, eum stetisse, diserte testatur Imperator in Decisione *l. pen. C. de Condictione indebiti*; ad quam Emundus Merillius & Johannes Strauchius conferantur.

CAPUT XII.
DE SCRIPTIS PAPINIANI.

§. I. *Libri Quæstionum controversias explicant difficilimas: quomodo hi differant à Responsis & Tractatibus.* II. *In Responsis rescripsit ad Epistolas, nomine consulentium suppresso. Species eorum singulares stricte explicandas. Aliorum auctoritate cur in iis non usus, nec semper rationes decidendi adjecit. Incorruptus ejus justitiæ amor præ aliis.* III. *Regularum artifex fuit maximus; quas sparsim alibi, sed plena manu in libris Definitionum collegit. Theophilus & Cujacius notati.* IV. *In libris de Adulteriis legem*

Juliam dormientem excitavit: qua utique cautum de fundo dotali. Maritus cum soluta congrediens non committit adulterium: D. Hieronymus illustratus. Bertrandi errores castigati. V. *Ἀστυνόμοι sunt Ædiles municipales, curam viarum gerentes, contra Cujacium, Bertrandum, Gothofredum, Grotium, Mynsingerum & Josephum de Rusticis: l. un. de Via publica nova luce donatur.* VI. *In scriptis ordinem servavit Edicti perpetui, eaque titulis distinxit. Verba: Quibus explicitis in l.* 44. *de Acquirenda possessione explicantur. Petrus Faber confutatus.* VII. *Quo tempore liber quisque sit scriptus: numque sub Antonino Magno de jure responderit? L.* 18. *de His quæ ut indignis & l.* 17. *de Quæstionibus examinatæ. Duareni & Spanhemii sententiæ improbatæ.*

§. I.

EGregium id Papiniani munus fuit, præstantissimos discipulos & ævi istius Semones, doctrina sua formasse: at parum hoc videbatur, nisi & scriptis cedro dignis nomen immortalitati ivisset consecratum. Idem nimirum de eo dici potest, quod de Isocrate suo dixit Quintilianus: Non solum discipuli eum bene docuisse,

cuiſſe, ſed & libri bene eum ſcripſiſſe teſtantur. Index ad caput Pandectarum Florentinorum affixus, ſex ſequentia volumina eum reliquiſſe, atque ex iis particulas quasdam Digeſtis inſertas commonſtrat:

PAPINIANU

Quaestionon βίϐλια τϱιάκοντα ἑπτα:
Responson βίϐλια δεκαεννεα.
Difiniton βίϐλια δυο.
De Adulteriis βίϐλια δυο.
De Adulteriis βίϐλιον εν.
'ΑΣΤΥΝΟΜΙΚΟΣ βίϐλιον εν.

Pleraque horum indicat idem Juſtinianus in Conſtitutione de Ratione & methodo juris docendi ad Anteceſſores, §. 4. *Vobis autem pulcherrimus Papinianus, non ſolum ex Reſponſis, quæ in decem & novem libros compoſita fuerant, ſed etiam ex libris ſeptem & triginta Quæſtionum, & gemino volumine Definitionum, nec non de Adulteriis, & pæne omni ejus expoſitione in omni noſtrorum Digeſtorum ordinatione præfulgens, propriis partibus præclarus ſui recitationem præbebit.* De ſingulis prius agemus ſingillatim; tum quæ in univerſum circa tempus & ordinem obſervanda erunt, ſubjiciemus. Septem & triginta libri Quæſtionum primo loco occurrunt: in quibus componendis Scævolam præceptorem imitatus videtur, qui Quæ-

ſtionum variarum libros viginti reliquit. Niſi capita ex his libris decerpta oſtenderent, ipſa vox ſatis prodit, non niſi difficiles, arduas & diſſidentibus inter ſe Juriſconſultis controverſas juris quæſtiones in his eſſe pertractatas; quod etiam tot eruditorum de Africani, Paulli, Tertulliani & aliorum implicatis ac tortuoſis Quæſtionum libris querelæ evincunt. Subtiliſſimo utique Æmilio noſtro pudori fuiſſet, leves ac faciles controverſias elegiſſe. Bene Antonius Faber Jurisprudentiæ Papinianeæ Titulo VI. Illat. 7. *Fuit*, inquit, *Papiniano familiare, Quæſtiones ſuas & Reſponſa ad eos caſus accomodare, in quibus prima facie minusque ſubtiliter intuenti, regulæ juris communis aut etiam æquitatis, aliam ſententiam, quam quæ tandem Papiniano placeat, ſuadere viderentur: idque unum ſane eſt, quod Papiniani elegantiæ ac ſubtilitati tam uberem campum dedit, quod ad eos caſus ſe reſtrinxit. Ne alioqui cogeretur facere, quod ceteri omnes Juriſconſulti, Africano ſolo excepto, fecerunt, ut multa dicerent, quæ vel nullam prorſus, vel ſaltem perexiguam apud prudentes viros haberent dubitationem.* Quomodo à Quæſtionum libris Reſponſa differant, docuit Cujacius Tractatu I. ad Africanum in principio. Reſponſa nimirum decidunt ſingulares

lares facti quæstiones ex jure constituto succinctim, & sunt velut nuda quædam oracula consultoribus data. Quæstiones autem sunt uberes quidam ipsique diffusi tractatus, in quibus suo arbitratu de jure controverso in thesi disputabant. Hinc *plenius rogo, quæ ad hæc spectant, attingas*, *l.* 26. *D. de Liberatione legata.* In illis Jurisconsulti, in his Doctoris munere fungebantur. Neque enim certa semper sunt, quæ in Quæstionum libris occurrunt, sed arguta magis & profundæ artis: quapropter Papinianus solenni suo *constat* in his non utitur; sed *potest dici*, in l. 71. §. 2. D. de Conditionibus, l. 4. de Usuris, l. 14. de Legatis lib. 1. *Cujus rei ratio forsitan est*, l. 47. D. de Acquirenda vel omittenda possessione: *prope est*, in l. 118. D. de Verborum obligationibus: *posse defendi* in l. 27. D. de Donationibus: *deliberandum est*, in l. 38. §. 9. D. ad Legem Juliam de adulteriis, atque id genus aliis. Referebant quoque in Quæstionum libros nonnunquam, quæ ipsis assidentibus & suadentibus in disputationibus & auditoriis per sententiam de jure dubio constituta erant. Sic noster cum Assessor esset, *Præfectis prætorii suasit* in l. 3. §. 3. D. de Usuris, juncta l. 40. D. de Rebus creditis & l. 43. D. de Actionibus emti. Idem Papinianus in l. 72. pr. D.

pr. D. de Conditionibus: *Negaverunt eam recte cavere; sed displicuit sententia.* Ut adeo non inepta sic Petri Perennonii lib. II. Variarum cap. XI. conjectura, Assessoriorum & Decretorum libros similes aut affines valde Quæstionum libris fuisse: nam Paullus Latino Largo & Nesennio Apollinari judicibus, ut videtur, pedaneis in Quæstionum libris sæpiuscule, quid decernendum esset, suppeditavit; & Scævola *Quæstionum publice tractatarum* librum singularem reliquit. Plurimum vero de jure dubio in utramque partem his libris disputatum est, ideo Papinianus *tractare* dicitur. *L. 6. §. 4. D. Si servitus vindicetur, l. 13. §. 1. D. de Jure codicillorum, l. 11. §. 6. D. ad Legem Falcidiam, l. 43. D. ad Senatusconsultum Trebellianum, l. 11. D. de Captivis.* Sic Philosophi, Rhetores, Sophistæ in porticibus disputantes *tractare* dicebantur, auctore Servio in VII. Æneidos. Apud Patres, qui Dei verbum voce vel scripto exponerent, *tractatores*, vocati, eorumque sermones *tractatus*. Geta *tractator* audit apud Spartianum in ejus vita cap. IV. Sed magis proprie hæc vox de Jurisconsultis usurpata, quos Cicero pro Muræna *jus controversum tractare* dixit. Sicut Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Periti juris altrinsecus*

trinsecus adsciscuntur, repugnantia tractaturi. Vetus Juvenalis Scholiastes ad Satiram I. ℣. 128. *Quia juxta Apollinis templum Jurisperiti sedebant, & tractabant.* Africanus iccirco & Paullus tractatus & quæstionis vocabulum promiscue usurpasse videntur in *l.* 88. *D. ad Legem Falcidiam*, *l.* 19. §. 2. *D. ad Senatusc. Vellejanum*, *l.* 34. *D. de Negotiis gestis*, *l.* 5. *D. de Præscriptis verbis.* Rhetoribus autem tractatio à quæstione ita distinguitur; ut hæc πρόβλημα & appetitio cognitionis sit, quæ ossa & nervos controversiæ ostendat; tractatus vero διάληψις, seu plenior explicatio & agitatio loci communis, qui tractatur. Indicavit hoc Bertrandus in vita Papiniani; sed clarius id apparebit, si addatur Seneca lib. I. Controversia I. *Adjecit quæstionem Gallio alteram, an abdicari possit jam adoptatus, ob id vitium, quod antequam adoptaretur notum fuit adoptanti. Hoc autem ex æquitatis parte pendet, & tractatio magis est, quam quæstio.* Idem Procemio lib. VII. de Albucio: *Erat & illud in argumentatione vitium, quod Quæstionem non tanquam partem controversiæ, sed tanquam controversiam implebat. Omnis quæstio suam probationem habebat, suam excusationem, suos excessus, suas indignationes, epilogum quoque suum. Ita unam controversiam*

ſiam proponebat, plures dicebat. Quid igitur? omnis quæſtio per numeros ſuos implenda non eſt? Eſt quidem: ſed tanquam acceſſio, non tanquam ſumma. Tantum de libris Quæſtionum, ex quibus capita, quæ ſuperſunt, ſingula infra ad calcem libri, una cum ceteris, juſto ordine referemus.

§. II. Secundum Papiniani opus novendecim libris fuit comprehenſum, qui magnifico admodum, ſed proprio tamen & vulgari nomine *Reſponſorum* appellantur, quaſi *Oracula* fuerint totius Urbis & cogniti tum terrarum orbis. Et ſane nullus Juriſconſultorum magis ſuo jure dicere potuit illud Apollinis Pythii, apud Ennium, quam quidem noſter: Se eſſe eum, unde non modo cives, ſed populi etiam & Reges conſilium expetant:

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos compoteſque conſilii
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Solebant nimirum Prætores vel judices, ipſique litigantes negotium controverſum ad Juriſperitos referre, eoſque conſulere de ejus jure ac eventu. Fiebat id interdum viva voce, & tempore quidem matutino, *ſub Galli cantum*, ut ex Horatio conſtat: cujus exemplum dedit Papinianus in l. 27. D. de Donationibus: *Defuncto Regulo controverſiam*

troversiam habitationis patiebatur Nicostratus: & cum de ea re mecum contulisset, dixi posse defendi. Interdum per Epistolas ab absentibus rogati Jurisconsulti, inde *rescribere* passim dicuntur in libris nostris. *Papinianus libro quinto Responsorum rescripsit*, in veteribus Codicibus est §. 2. Inst. de Excusationibus. Et §. 8. Inst. de Rerum divisione *Papinianus rescripsit*, nempe lib. III. Responsorum in *l.* 73. *de Contrahenda emtione.* Mirum in modum hoc illustrat Consultatio, quæ in Collatione Legum Mosaicarum & Romanarum Tit. IV. ex ejusdem Papiniani libro singulari de adulteriis refertur hoc modo: *Cum patri lex Regia dederit in filiam vitæ necisque potestatem, quo bonum fuit lege comprehendi, ut potestas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi RESCRIBERE, nam scire cupio. RESPONDIT: Numquid &c.* Idem Papinianus in l. 11. §. 5. ad Legem Juliam de Adulteriis, Consultationem ponit ejusmodi: *Quidam accusare volebat adulterii mulierem, & postulabat, ne sibi computarentur dies, quos in custodiam fuisset; me hoc admittente extitit, qui contradiceret: cujus opinionem an tu probes, rogo maturius mihi SCRIBAS? RESPONDIT: Opinionem tuam & verba Legis & sententia adjuvant.* Consultorem hunc non

privatum

privatum hominem, ſed ex Magiſtratibus fuiſſe, res ipſa loquitur: at nomen ejus uti exprimeret, nihil lectoris intereſſe putavit Æmilius, qui plerumque ſub falſis Titii & Lucii nominibus ſpecies proponere amat. Aliter Cato & Brutus, in quorum libris nominatim fere relatum ridet Cicero, lib. II. de Oratore, cui aliquid de jure, viro aut mulieri reſpondiſſent: credo ait, ut putaremus, in perſonis, non in re, conſultationis aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe; nec quod illis reſponſum, idem vere reſponderi poſſe aliis. Eundem vero morem tenuit Ulpianus *l. 68. de Legatis 3, l. 45. de Solutionibus l. 5. de Pollicitationibus.* Paullus *l. 81. de Conditionibus l. 34. de Negotiis geſtis l. 83. D. de Legatis lib. 2. l. 22. ad Legem Falcidiam*, aliique. Scævolæ autem hoc inſtitutum fuit ſingulare, ut in Digeſtorum libris nomina vera earundem ſpecierum exprimeret, quæ in Reſponſis reticuiſſet aut mutaſſet: ſic noſter, maximi præceptoris exemplo, in Quæſtionum tantum libros ſubinde integras conſulentium Epiſtolas retulit, quarum ſummam dein preſſo ſermone in libris Reſponſorum dedit. Videatur Cujacius lib. XII. Obſervationum cap. 10. In l. 13. D. de His quæ ut indignis: *Claudius Seleucus Papiniano ſuo ſalutem . . .*

Quæro

Quæro an justum . . Respondi. Ubi obiter moneo, eundem hunc esse Seleucum, qui A. V. C. 973. cum Grato Sabiniano consulatum gessit. Fragmenta Dionis Cassii pag. 991. Γρᾶτος Σαβινιανὸς, καὶ Κλαύδιος Σέλευκος. Iterum in l. 94. §. 3. de Solutionibus: *Favius Januarius Papiniano salutem . . . Quæro id quod . . Respondi.* Hinc autem, velim, discant Juris Studiosi, quod & Ulpianus in Celsi responsis adnotandum censuit *l.* 7. §. 17. *Quibus ex causis in possessionem eatur*, quæ ex contractis hisce Responsorum libris petita sunt, stricte interpretanda, nec ultra facti speciem trahenda esse: neque enim theses juris generales continent, sed hypotheses suis propriis terminis & circumstantiis circumscriptas, quæ quia Papiniano ex facto proposito notissimæ, non erat, cur prolixe eas referret; nobis autem penitus sunt ignotæ. Illud etiam præcipuum, animique excelsi indicium habent Responsa Papiniani, quod eorum auctoritate utuntur alii; ipse vero ad nullius fere auctoritatem excurrit, quasi non tam legum interpretem, quam latorem agere videatur. Vitare scilicet voluit notam Ciceronis, qui lib. VII. Epistola 17. ad Trebatium, Jurisconsultorum sui temporis formulam perstringens: *Hoc quemadmodum*, ait,

vos scribere soletis in vestris libris; idem Q. Cornelio videbatur. Et profecto nihil illis est ineptius, qui licet de ratione juris constet, plaustra Doctorum tumultuaria opera congerunt, quorum plerique communiter vel nihil ad rhombum, vel etiam pecorum ritu magis, quam judicio, antecedentium gregem sunt secuti. Unus fere Jurisconsultis priscis suffecit, rarius duo vel tres auctores laudantur. Ad Papinianum ut revertar, inest Responsis ejus vis quædam singularis & sine fuco juris color, verborum ambitu brevi; ut recisis omnibus sublatisque non necessariis, plus habeant in recessu, quam fronte promittunt. Non semper ille decisionis suæ adfert rationem; sæpe eam dictis includit; nonnunquam contentus *humanius videtur*, vel *rationis est* dixisse. Valde placebat Cujacio concisa illa & simplex ratio in l. 8. D. de Dote prælegata: *Quoniam mariti voluntas servanda est.* In l. 40. de Pactis, tale pactum, *Profiteor te non teneri*, in personam non dirigi ait, sed, *cum generale sit*, locum inter heredes quoque litigantes habiturum, respondet. Atque sic & alibi sæpius paucis verbis jugulum causæ premit statim, cetera Sophistis ac Declamatoribus relinquens. Denique cum omnis ævi experientia sit compertum, Consilia

sæpe

ſæpe ſordibus, gratiæ aut amicitiæ dari, & veriſſime dixerit Cicero lib. II. de Oratore: *Plura multo judicare homines odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolo, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritatis aut præſcripto, aut in eis norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus:* vehementer ad laudem Reſponſorum Papinianeorum facit, quod veritas in his nuda & ſimplex, tum æqui bonique conſtans amor, & ſuum cuivis tribuendi ſtudium, nulla prece nec pretio adulteratum, ne tantula quidem fraudis vel calliditatis labe contactum, omnibus modis eniteſcit. Multi apud poſteros fama forent ſecundiore, ſi eorum Commentaria tantum publici juris facta eſſent. Caſtrenſem, Socinum & Alexandrum Gratiis & Pluto tantum dediſſe, ignoraremus, ſi eorum Reſponſa non extarent; *Valeant*, ajebat Paulus Picus, *hæc Conſilia tua Alexander: ego longe pluris Lecturas tuas facio*, apud Alciatum lib. XII. Parergorum cap. 12. Nec recentiores tantum infamia hæc premit. De Scævola dictum capite præcedente, quæque de aliorum ejus æqualium fide Lucii Titii *ſine ullo Juriſperito* teſtamentum ſcribentis, opinio fuerit, conſtat ex *l.* 88. §. *fin. de Legatis lib.* 2. Cui illuſtrandæ accedat

 famoſa

famosa illa Apisii apud Gruterum pag. 662. n. 5. cautela:

C. APISIO. C. L
FELICI. TATAE
HVIVS. MONVM
DOLVS. MAL.
ABESTO. ET
IVRISCONSVLT.

§. III. Quæstiones & Responsa Papiniani in ordine, colophonis instar, excipiunt Definitionum libri duo, quibus varias juris civilis regulas complexus est. Definire enim Jurisconsultis est, pro regula aliquid statuere, vixque in toto jure definitionis vox pro definitione Logica usurpatur. Sic Celsus Regulam Catonianam *definitionem* vocat in *l.* 1. *de Regula Catoniana*. Ulpianus Mucii sententiam, quæ relata est in l. 73. §. 2. de Diversis Regulis Juris, *Definitionis* appellatione indicat, *l.* 1. §. 5. *D. Quod vi aut clam.* & Imperator veteres regulas & antiquas definitiones conjungit in *l.* 4. *C. de Verborum significatione*. Dicuntur igitur hi libri Definitionum, ut Q. Mucii Scævolæ liber τῶν Ὅρων, & Cervidii Scævolæ, Neratii Prisci, Pomponii, Gaji, Ulpiani, Paulli, Marciani, Modestini & Licinii Rufini libri *Regularum:* in quos theses generales, assidua fori tritura, à Prudentibus excogita-

cogitatæ, velut per ſaturam, ſunt conjectæ. *Quod veteres definierunt*, inquit noſter lib. II. Definitionum in *l. 97. D. de Solutionibus.* Iidem ſunt Ulpiani *Opinionum* libri, ex quibus *l. 61. de Regulis Juris* decerpta eſt; nam Papinianus in *l. 2. de Uſuris*, quod initio *vulgo receptum* eſſe dixerat, ſtatim *opinionem* vocat. Nec enim admittenda eſt diſtinctio Theophili in §. 8. *Inſt. de jure naturali* inter Sententias Juriſconſultorum & Opiniones, quaſi illæ perfectæ & indubiæ, hæ vero ſuſpenſæ & timidæ reſponſiones fuerint, quandoquidem & hæ ipſæ ſententiæ ſunt, modeſtiore tantum vocabulo vallatæ, ut recte Jacobus Gothofredus ad l. 58. d. R. J. animadvertit. Quam autem difficile fuerit antiquis Prudentibus canones ejusmodi generales brevi complexu edere, vel inde apparet, quod innumerabilium factorum, hominum & deciſionum cognitionem ſuis injunxerunt diſcipulis, & quemadmodum Cicero II. de Legibus dixit, quod poſitum erat in una conditione, id in infinita diſperſerunt. Quamobrem & ſua ætate, nec temere, faſſus eſt Javolenus omnem definitionem in jure civili periculoſam eſſe, *l. 202. de Regulis Juris.* Q. Mucius Scævola primus vadum tentavit, atque regulas in foro tum quidem receptas, neque dum tamen

 ſcriptas,

ſcriptas, in peculiare compegit opus, & ſic (quod Pomponii de eo judicium eſt, *l.* 2. §. 41. *de Origine juris*) primus jus civile conſtituit. Mox Servius Sulpitius quod diffuſum & diſſipatum adhuc erat, ad artem redegit, inſtructus arte illa omnium maxima, quæ docet *habere regulam, qua vera à falſis dignoſcerentur, & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia judicarentur*, auctore Tullio in Bruto. Pomponius dein, proficiente jam indies Jurisprudentia, ad Mucium notas conſcripſit; quibus vel ratione eas firmavit, vel exemplis illuſtravit, vel vitia ſubnotavit, & necdum tamen ad ſummam pervenit. Papinianum majorem juris Antiſtitem hæc Sparta manebat; qui ut Dialectices fuit peritiſſimus, & cum Stoicis ſuis brevia quædam præcepta ad manum amavit valde; ſic tantus Regularum extitit artifex, ut nullus ferme Jurisconſultorum tot, tamque abſolutas, tam æquas nobis Regulas contulerit: quod ſummæ illius ſapientiæ & peritiæ fuiſſe Cujacius monuit ad *l.* 38. *D. de Pactis*. Eſt enim periti in promtu habere regulas, & definitiones rerum & nominum. Has vero non in Definitionum libris tantum expoſuit, ſed Quæſtiones etiam ac Reſponſa elegantiſſimis, generaliſſimis & raro fallentibus regulis

ſunt

sunt referta; quod formulæ illæ *in toto jure*, *in totum*, *in omni jure*, *generaliter*, *ſemper in jure* & ejusmodi aliæ produnt clare. Juvabit nonnullas exempli loco huc conduxiſſe. In multis juris noſtri articulis deterior eſt conditio feminarum, quam maſculorum, ait in *l.* 9. *de Statu hominum*. In omni fere jure finita patris adoptivi poteſtate, nullum ex priſtino retinetur veſtigium, *l.* 13. *D. de Adoptionibus*. In omnibus bonæ fidei judiciis, cum nondum dies præſtandæ pecuniæ venit, ſi agat aliquis ad interponendam cautionem, ex juſta cauſa condemnatio ſit, *l.* 41. *D. de Judiciis*. Ex his omnibus cauſis, quæ jure non valuerunt, ſecura per errorem ſolutione, condictioni locus erit, *l.* 54. *D. de Condictione indebiti*. Generaliter obſervari convenit, bonæ fidei judicium non recipere præſtationem, quæ contra bonos mores præſtetur, *l.* 5. *D. de Uſuris*. In toto fere jure manumiſſor ejusmodi nihil juris, ut patronus conſequitur, *l.* 24. *D. de Excuſationibus*. Quod per manus traditum eſt, codicillis hereditatem dari non poſſe, rationem habet, *l.* 10. *D. de Jure codicillorum*. In omni fere jure ſic obſervari convenit &c. *l.* 23. *D. de Liberis & poſtumis*, *l.* 41. *D. de Pœnis*, *l.* 76. 78. 79. 80. *de Diverſis Regulis Juris*. Ceterum

Papinianus in Definitionum libris inter regulas juris nonnunquam posuit dialecticam rei definitionem, ut apertior fieret regula de eadem re adjicienda. Sic jus civile & Prætorium definit in *l.* 7. *D. de Justitia & jure* & legem in *l.* 1. *D. de Legibus*: quæ duo capita rectius in vulgata editione ad lib. I. referuntur, tanquam præparatoria regularum: ex quo etiam petita actionis divisio, in actionem, petitionem & persecutionem, *l.* 28. *D. de Obligationibus*. Alias ejusmodi definitiones & divisiones ex libris Regularum, quos Ulpianus, Marcianus & Modestinus composuerunt, in commentario ad dictam legem 1. annotavit Cujacius: sed qui ejus præclaræ observationis immemor, Juliani hereditatis definitionem, quia Dialectica est, inter fugitivas tituli Pandectarum de Regulis juris numeravit sine causa.

§. IV. Proximum est, quid de Adulteriis scripserit Æmilius noster disquiramus. Recte Bertrandus Indicis vulgati defectum hic notat, qui libri tantum singularis mentionem facit; cum tamen primi & secundi in plerisque legum inscriptionibus vestigia extent. At nec ipse satis accurate hæc vestigia indicavit, quia *l. si pœnituit* ex libro primo est; non etiam librum singularem de Adulteriis pro germano fœtu agnoscit, quem

quem vel ſola inſcriptio *l.* 11. *D. ad Legem Juliam de adulteriis* tuetur. Ita igitur cum Cujacio habendum: duobus libris Papinianus omnia legis Juliæ capita, quæ erant plurima, explicuit; liber autem ejusdem tituli ſingularis tantum de exercitione publici judicii, non de omnibus legis capitibus, fuit conceptus. Utrumque hoc ſcriptum temporis licentia & mores corrupti ſine dubio expreſſerunt, quibus adulterorum peccata non tantum impunita erant, ſed & laudi ducebantur. Jam dudum Satyrici audita erat querela: *Ubi nunc lex Julia, dormis?* ad quam Domitianus legem hanc revocarat; ſed quia amara nimis videbatur omnibus, facile conniventia Magiſtratuum eveniebat rurſus, ut mœchari luſus eſſet. Renovavit eam idcirco Severus, auctore Dione Caſſio lib. LXXVI. cujus verba, quia huc apprime faciunt, adſcribo: *Criminari ſolebat incontinentes, ob eamque cauſam leges de mœchis tulit, ex quibus quamplurimi in jus vocati ſunt. Ego quidem, quum conſul eſſem, inveni ſcriptum in tabulis, tria millia mœchorum eſſe accuſata. Sed quum jam pauci mortales ea judicia exſequerentur, cœpit de iis quærere negligentius.* Admodum igitur veriſimile eſt, Papinianum non tantum ſuaſorem hujus legis, ſed etiam, quia ſta-

 tim

tim eam ſeneſcere vidit, interpretem egiſſe. Siquidem leges Dioni memoratæ repetitio Legis Juliæ fuere; hanc enim Severus, vel unico Ulpiano teſte, auxit variis capitibus & ampliavit, ut v. gr. non ſolum nuptas, ſed & ſponſas coërceret, utque in maritum crimen non ulciſcentem, animadverteretur *l. 2. §. 6. l. 13. §. 3. D. ad Legem Juliam de adulteriis*. Inſuper leviſſimam legem Papiam, mœchiæ illicem, ſuſtulit idem, ut ex Tertulliano ſupra oſtendimus. Ex his autem Papiniani libris, maxime ex *l. 12. D. de Fundo dotali* tandem certi evadimus, legem Juliam de fundo dotali, non eſſe fragmentum legis Juliæ & Papiæ de maritandis ordinibus, ſed caput legis Juliæ de adulteriis: qua de re non conſtabat apud Auguſtinum, Muretum, Manutium, aliosque de Legibus Romanis ſcribentes. Ipſum Jacobum Gothofredum, maximi nominis Juriſconſultum, in notis ad caput XX. Legis Papiæ, ejusdem Papiniani fragmentum in *l. 27. §. 4. D. de Conditionibus* fere perſuaſerat, ut in alia omnia concederet; ſed retraxit eum Paullus *lib. II. ſententiarum tit. 21.* & legum aliquot inſcriptiones, quibus Briſſonius quoque & Cujacius nitebantur. Nunc etiam in poſterum conſtabit, quorſum reſpexerit D. Hieronymus in Epiſtola

ad

ad Oceanum, ubi ſcribit: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud PAPINIANUS, aliud Paullus noſter præcipit: apud illos impudicitiæ fræna laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria & ancillulas libido permittitur, quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris.* Nimirum Papinianus libro primo de Adulteriis in *l. 6. D. ad Legem Juliam* ſcripſerat, inter liberas tantum perſonas legi Juliæ locum eſſe; adulterium proprie in nuptam committi, diverſamque uxorum hanc præ maritis eſſe ſortem: ut illæ, ſi virum in adulterio deprehendiſſent, ne digito quidem eum attingere auderent; huic autem facultas uxoris necandæ eſſet, ſi in flagitio deprehenderetur. Cujus rei iniquitatem, ſub perſona Syriæ, jam olim accuſavit Plautus; idque eſt, quod paſſim in Legibus carpunt Patres. Lactantius lib. VI. Inſtitutionum cap. 23. *Non enim, ſicut juris publici ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium, maritus autem, etiamſi plures habeat, à crimine adulterii ſolutus eſt. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjunxit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diverſa traxerit.* Chryſoſtomus Homilia V. in prima

ad

ad Thessalonicenses: *Quemadmodum mulieres nos punimus, quando nobis nuptæ aliis se ipsas conjungunt, ita puniemur & nos, etsi non Romanis legibus, certe à Deo.* Sed ratio juris Romani non est occulta. Uxor injuriam violati lecti non patiebatur, cujus domina non erat: & gravius merito crimen hoc videbatur in muliere; quum ad eam, quæ marito infertur, injuriam, corruptelam quoque ac depravationem morum, prolis confusionem, & matrimonii perturbationem adjungat. Vix ulla mulier ad scelus hoc adigitur, quin pluribus una flagitiis involvatur. Multæ visceribus suis vim intulerunt, multæ molestum sibi maritum è medio tollere non dubitarunt. Adde, quod Romani hanc definitionem à Græcis, hi vero à Judæis acceperunt, apud quos polygamia viris erat indulta, nec uxori in maritum Zelotypiæ actio concedebatur. Quin ipso civili jure, uxor judicio de moribus adversus maritum experiri valebat; quia accusatio privata erat, in qua paria delicta mutua compensatione tolluntur, auctore Papiniano *l.* 39. *D. Soluto matrimonio dos* & Scævola *l.* 47. *D. Eodem.* Poterat etiam rea accusata marito objicere seu referre lenocinii vel adulterii crimen, ut ipse condemnaretur: periniquum etenim videbatur

esse,

esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigeret, quam ipse non exhibebat, ut ex aureo Antonini rescripto eleganter docuit Ulpianus in *l.* 13. §. 5. *D. ad Legem Juliam de adulteriis*, cujus particulam Beatus Augustinus quoque lib. II. de Adulteriis conjugum c. 8. ex Codice Gregoriano refert. Contio id observante subsecivarum Lectionum cap. VII.

§. V. Postremum Papiniani scriptum in indice Florentino Ἀςυνόμικος βίβλιον ἓν appellatur. Unicum vero, quod dolemus, ex eo nobis tantum superest fragmentum in *l. unica D. de Via publica, & si quid in ea gestum esse dicatur*, cujus inscriptio est ista: Ἐκ τοῦ Ἀςυνομικοῦ μονοβίβλου τοῦ Παπινιανοῦ. *Ex libro singulari Papiniani de officio Ædilium.* Cur Græce hunc librum ediderit, investigavimus supra cap. IV. §. 3. Hic locus postulat, ut qua de re & quem in finem scriptus sit, plenius examinemus. Nomen petitum est ab Atheniensium *Astynomis*, quorum viginti, in ea republica fuerant constituti. Ita Harpocration & Suidas: Ἀςυνόμος, *Ædilis. Demosthenes contra Timocratem. Aristoteles in rep. Atheniensium* ἀςυνόμους *viginti fuisse ait; quinque in Piræeo, & quindecim in urbe.* Munera eorum multis persequuntur Plato lib. VI. de Republica, & Aristoteles lib. VI. Politic. cap. 8. Pertinebant

nebant enim ad eorum curam ædificia, qua publica, qua privata, in primis autem viæ, è quibus sordes & quicquid liberum prohibere potest transitum, removeri jubebant. Hinc Glossæ antiquæ: *Viocurus*, ἀςυνόμος; & Hesychius generaliter scribit: Ἀςυνόμος ὁ διοικῶν κατὰ τὸ ἄςυ. Differunt ab his Ἀγορανόμοι, qui inspectores erant rerum venalium, modestiam exigebant in foro, pretia rebus imponebant, & puniebant denique, qui in leges fori peccassent; ut præter eundem Hesychium, Harpocrationem & Suidam elegantissimum docet Ulpiani scholium ad Demosthenis orationem contra Timocratem pag. 819., his verbis: *Agoranomus inspector est rerum venalium in foro; Astynomus, qui in eo occupatur, ut urbs munda sit, qui apud nos* Πατὴρ *appellatur*. De his Atheniensium Astynomis Papinianum non egisse, vel ipsum dicti capitis unici principium ostendit, quo jubet Ædiles studere, ut quæ *secundum civitates* sunt, viæ adæquentur. Non etiam loquitur de Ædilibus Curulibus vel Plebejis urbis Romæ, tum quia illos edicto singulari & plane diverso securitati viarum prospexisse novimus ex *l.* 40. 41. *&* 42. *D. de Ædilitio edicto.* tum quia Ædiles Romani scriptoribus Græcis non Astynomi, sed Agoranomi, plerumque dicuntur. Hieronymus

ronymus ad Rusticum monachum de vivendi forma: *Et prius quidem*, ait, *ab Ædilibus, quos ἀγορανόμους Græci appellant, vendentium coërcebatur rabies.* Unicus forte Dio Cassius Lib. LIV. ubi de Claudii Drusi expeditionibus agit, & nisi fallor, alibi etiam, *Astynomi* voce utitur de Magistratu Romano, & ut puto, Prætore, non vero de Ædile, quem ἀγορανόμον vocare solet. Quid igitur? In municipiis & coloniis Romanis, ad exemplum urbis matris, constituti erant Magistratus Duumviri, Quatuorviri vel Octoviri, qui utramque provinciam, quæ Athenis discreta erat, exornabant; hi vero in municipiis Latinis *Ædiles*, in Græcanicis autem civitatibus promiscue ἀγορανόμοι vel ἀστυνόμοι vocabantur. Rariora quidem posterioris appellationis vestigia reperiri, fateor, in veterum monimentis: sed ob eam fortassis rationem, quod ἄστυ propter excellentiam Athenarum urbem significabat, nec tenuiores Græciæ civitates Ædiles suos ausæ fuerunt appellare Astynomos, sed potius Agoranomos, quod magna muneris eorum pars circa frumentum & res in foro venales versabatur. Non etiam me fugit summum raroque aberrantem Cujacium in notis ad hanc legem Papiniani, & lib. XXII. Observationum cap. 31. alium fecisse Ædilem,

lem, alium Astynomum; cujus vestigia secuti Bertrandus & Guilielmus Grotius in vita Papiniani, minus significanter putarunt, librum hunc astynomicum *de Officio Ædilium* Latine translatum esse. Sed illius rationibus libro nostro singulari de Ædilibus coloniarum & municipiorum, capite IV. & VIII. tam abunde, opinor, satisfactum est, ut nullus dubitationi locus sit relictus. Quod si enim nomina rebus consentanea esse oportet, non aliud nomen magis Ædilibus competit, quam Astynomorum; quia *urbis* quique suæ erant *curatores*, atque opera publica, muros, portas, turres, capitolia, aquæductus, ædes sacras, balnea, & cetera quæque ærarii impendio faciunda locabant. Dein optimæ Glossæ verbis expressis 'Αστυνομίαν *Ædilatum* explicant: Ædilatus autem Festo interprete, *Ædilium dignitas est*. Ad Agoranomos quoque pariter, ac Astynomos, confuso horum munere, Athenis querelas de immunditie viarum delatas, testatur Libanius declamatione XXXVI. pag. 794. quidni etiam ad Ædiles? Verba Libanii ex versione Morelli sunt ista: 'Αγορανόμοι δὲ καὶ ἀστυνόμοι, *Annonæ autem præfecti & Ædiles, ita leges despicientes non castigatis: qui tantum urbi curæ impendunt, ut paludes totas in ea constituant, &*

loci

loci passim occurrant in foro perlubrici. Eoque quam maxime facit, quod Strabo lib. XV. Geographiæ pag. 707. Indorum Ædiles, vias conficientes, & per dena stadia lapidem locantes, ἀγορανόμους vocat, Græcorum more. Et, sodes, quid verbis opus est? Conferantur modo, quæ ad officium Ædilium pertinere in fragmento hujus libri Papinianus dixit, cum iis, quæ de Astynomorum munere scriptores Græci memoriæ prodiderunt, non ovum ovo, nec lac lacti videbitur similius. Illi Athenis viis præerant: in coloniis autem & municipiis status & certus magistratus Viocurus habebatur Ædilis.

IVLIVS. FRONTO. AED. DVXIT
VIAM. A. FORO. FECIT - -
FECIT. CLIVOM - - -

Est in inscriptione Neapoli inventa, apud Capacium lib. I. Historiæ Neapolitanæ. Pulchriorem habet Fabrettus cap. IX. Inscriptionum num. 72. Beneventi repertam, hoc modo:

BERGONIA
C. ENNIVS. M. F
C. BERGONIVS. Q. F
A E D I L
VIAM. STRAVERVNT
ET. LACVS. FECERVNT

R Hæc

Hæc si nondum sufficiunt, conferantur denique aliorum loca de Ædilium officio testantia, cum Papiniano. Ait ille §. 4. hujus legis unicæ, Astynomis studendum esse, ne quid ante officinas in via publica projectum sit aut propositum: idem vero Paullus de Ædilibus municipalibus affirmat, l. 12. de Periculo & commodo rei venditæ: *Lectos Ædilis, cum in via publica positi essent, concidit.* Scribit Papinianus, Astynomos operam dare oportere, ut ne stercora, fimus, quisquiliæ, coria & morticina in plateam ejiciantur, ejecta vero removeantur: Idipsum vero ad Ædilium munus retulit Plautus Sticho Actus II. sc. 2. ℣. 27. cum Dinacio servulo comice imperanti:

Cape illas scopas, tu hoc converte.

Gelasimus parasitus, apud se, vel ad populum conversus, belle subjicit, quod nunc in adagio est: *Sine suffragio populi hic quidem Ædilitatem gerit.* Quibus argumentis Cujacio, & qui eum sequuntur, abunde satisfactum opinor. Paret sic etiam, minus recte Jacobum Gothofredum ad l. 2. C. Th. de Itin. mun. dictam *l. unicam* ad Ædiles Urbanos retulisse. Pejus Mynsingerus ad §. 7. Inst. de Fideic. her. Papinianum *Ædilium Curulium librum singularem* composuisse, pessime Josephus de Rusticis in vita

Papiniani

Papiniani n. 19. eum *ad Edictum Ædilium Curulium* ſcripſiſſe tradidere.

§. VI. Hi ſunt libri, quorum notitia ad nos pervenit: nec plures ab eo ſcriptos reor, quia vel Juriſconſultorum veterum, vel Juſtiniani pietas in Heroëm noſtrum ſingularis eos latere non ſiviſſet. Nunc in univerſum ſcripta ejus commendanda ſunt ab ordine, cujus ſemper obſervantiſſimus fuit; ut proinde in libris Quæſtionum aut Reſponſorum inſcriptionum ſimilitudo ad conjunctionem atque explicationem legum inde ſumtarum non minimum momenti habeat; id quod Jacobus Gothofredus in eruditiſſimo commentario ad Caput 74. & octo ſequentia de Regulis Juris contra Petrum Fabrum pulcherrime firmavit. Tanta autem Papiniani ætate Edicti perpetui à Salvio Juliano compoſiti erat auctoritas, uti omnes fere de jure libri & commentarii ad illud, ſicut ante ad XII. Tabularum leges & libros Sabini, fuerint accomodati: quod videre licet in libris Digeſtorum Juliani, Celſi, Marcelli, Scævolæ, in Hermogeniani Epitome juris, Paulli ſententiis & præcipue in libris Quæſtionum & Reſponſorum Papiniani. Amplius ex fragmentis in Collatione Legum Moſaic. & Roman. aſſervatis diſcimus, eum libros ſuos itidem in

 partes

partes minores seu titulos distinxisse, pariter ac ipsum Edictum in titulos erat divisum. Sic cap. 2. *Papinianus libro Definitionum II. sub titulo de judicatis.* Et cap. 4. *Papinianus lib. XV. Responsorum sub titulo ad Legem Juliam de adulteriis.* Harmenopulus item lib. II. Promptuarii tit. 4. *Prospectum in montes prohibere nemo potest, ut Papinianus tertio Quæstionum libro, novissima tituli quæstione dixit.* Ordinem denique accuratum non indicat, sed clamat phrasis *Quibus explicitis*, qua ratione acquirendæ possessionis demonstrata utitur in *l.* 44. §. 2. *D. de Acquir. vel am. poss.* ad rationes ejus amittendæ jam perrecturus. Eodem modo Paullus in l. 5. §. 1. de Præscr. verb. *Explicitus est articulus ille do ut des.* Et Ulpianus l. 1. ad SCt. Treb. *Explicito tractatu, qui ad fideicommissa pertinet.* Locutio desumta est à vetusto voluminum evolvendorum more: quæ demtis loris, uncisque relaxatis explicabantur, adeoque lectoribus ad finem usque patebant. Martialis lib. XI. Epigr. 108.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.

Inde profecta antiquorum consuetudo, ut completo libro vocem *explicitus*, dein posterioribus

ſterioribus ſæculis curtius *explicit* ſubjicerent ſtatimque ſcriptionem continuarent. Hieronymus ad Marcellam Epiſtol. 138. *Scire debemus, apud Hebræos in fine librorum unum è tribus ſolere ſubnecti: ut aut Amen ſcribant, aut Sela, aut Salom, quod exprimit pacem, unde & Salomon pacificus dicitur: ut ſolemus nos completis opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere Explicit, aut Feliciter aut aliquid iſtiusmodi.* Videatur Carolus Freſneus in Gloſſario Lat. hac voce. & Scaligeran. alter. pag. 81.

§. VII. Reſtat, ut quo tempore tractatus quisque ſcriptus ſit, inquiramus: nam & hæc obſervatio, in explicandis fragmentis, haud contemnendi uſus erit. Cicero ſub perſona Craſſi lib. 1. de Oratore refert, juris interpretationem ſenectuti celebrandæ & ornandæ honeſtiſſimum ſuo tempore refugium fuiſſe. Minus autem veriſimile forte nonnullis videbitur, Papiniano in aula, & quod caput eſt, in ſummo dignitatis faſtigio verſanti otium ad ſcribendum fuiſſe. Et tamen Quæſtionum libros, Commodo jam Divo, tempore Severi editos, *l.* 26. *D. de Probationibus l.* 6. *de Uſuris l.* 67. §. 9. *D. de Legatis lib.* 2. produnt clare. Hoc amplius in libris Reſponſorum, & ſolis qui-

dem, *Optimos Maximosque Principes suos*, Severum & Antoninum sæpius laudat, v. gr. in *l.* 30. *D. de Excusationibus l.* 16. §. 1. *de His quæ ut indignis l.* 22. *de Accusationibus*, ut satis inde constet, Responsa ingruente jam senio collecta, & libris Quæstionum, saltem ex parte, posteriora fuisse. De adulteriis quæ edidit, haud vana conjectura ad Severi ævum retulimus supra pag. 249. Nec aliud forte de Definitionum libris habendum; quia non nisi consummati Jurisconsulti est, tot tamque accuratis Regulis, quæ longo tantum usu colliguntur, Jurisprudentiam augere. Ovidius lib. IX. Metamorph. *Jura senes norint*. Post excessum Severi vix est ut credamus, eum libris scribendis poliendisve operam impendisse. Vel sola temporum ratio, & negotiorum, quibus obrutus fuit, moles id prohibuerunt. Non me fugit libro ejus XV. Responsorum in *l.* 18. *de His quæ ut indignis* Severum *Divum* vocari: at si quis clausulam illam ad Ulpiani vel Paulli notas referat, non admodum refragabor: neque enim semper *Paullus* vel *Ulpianus notat* in libris nostris est adscriptum, & statim libro sequente in *l. ult. de Accusationibus* Optimorum Principum suorum meminit: hi vero sunt Severus & Antoninus ut patet ex *l.* 3.

de

de Re militari, ubi idem ex eorundem reſcripto refertur nominatim. *Maximi Principis* nomine eodem libro XVI. Reſponſorum in *l.* 17. *de Quæſtionibus* Antoninum Caracallam intelligit Illuſtris Spanhemius Orbis Romani Exerc. 11. cap. 4. Magis autem eſt, ut cum Briſſonio in voce *Maximi* & Cujacio lib. 2. Obſerv. cap. 33. Severum ibi accipiamus, qui *Maximus Princeps noſter Severus Auguſtus* ab eodem diſerte in *l.* 78. §. 1. *de Legatis lib.* 2. & *l.* 8. *de Vacatione & excuſ. mun.* etiam in lapidibus litteratis apud Gruterum pag. 262. n. 8. & ſequentibus appellatur. Caracallæ ſignatum cognomen ſeu elogium *Magni* fuit, nam *corpore Alexandri Macedonis inſpecto, Magnum atque Alexandrum ſe juſſit appellari.* teſte Victore in Epit. cap. 37. Sic DIVO ANTONINO MAGNO eſt in nummo apud Vaillantium de Numismatibus Imperatorum, & paſſim apud Paullum, Marcianum & Modeſtinum, *Divus Magnus Antoninus* occurrit: nullibi in Pandectis, niſi cum Patre, *Maximus* vocatur. Ceterum quantum ad tollendas antinomias referat, ætatem, qua Jurisconſulti ſcripſerint, perfecte noviſſe, exemplo hic minime omittendo oſtendere tentavit Franciſcus Duarenus in tit. D. de Donat. int. vir & ux.

 Statuerat

Statuerat Severus Imp. donationes inter virum & uxorem morte confirmari; id quod Papinianus tantum judicavit intelligi de donationibus rerum, hoc eſt, quæ traditione perfectæ ſunt: neque putavit, ſi ſtipulanti uxori maritus donare promiſiſſet, poſſe heredem mariti conveniri, *l.* 23. *D. de Donat. inter vir.* ubi hanc ejus ſententiam vocibus *recte putabat* laudat Ulpianus; qui vere paulo poſt omnes donationes, etiam ſtipulatione contractas, ex qua obligatio civilis naſcitur, morte donantis confirmari ſcribit in *l.* 32. §. 1. *&* 23. & *l.* 33. *Eodem.* Hotmanus aquam ſibi hic hærere fatebatur: ſed multis modis & ſatis acute conciliationem aggreſſi ſunt viri eruditiſſimi. Duarenus duplicem facit Orationem de Liberalitatibus conjugum; alteram ſolius Severi, quæ minus plena fuerit, & ad hanc reſpexiſſe Papinianum: alteram vero pleniorem Antonini, prope exceſſum Severi in Senatu habitam, quæ, Papiniano iſta ſcribente, nondum recitata, nec à ſenatu confirmata fuerit, ad eam vero Ulpiani dictas leges referendas eſſe. Verum hanc Duareni ſententiam ut commentitiam rejecit Antonius Faber lib. 2. Conject. cap. 8. mihique accuratior hac de re videtur diſputatio Franciſci de Amaya lib. 2. obſ. cap. 10. cujus ſcrinia non compilo.

CAPUT

CAPUT XIII.

DE AUCTORITATE ET PRÆROGATIVIS PAPINIANI.

§. I. *Octo ejus libri Resp. Juris Studiosis tertio anno in Scholis expliciti, qui inde Papinianistæ dicebantur. Dies Festi in ejus, ut aliorum, memoriam celebrati.* II. *Jurisconsultorum coryphæi in re dubia ad ejus auctoritatem confugiunt. Partes litigantes ejus Responsis in judicio usæ. Opera Papiniani in unum Systema contracta, quod Corpus Papiniani, nec ineleganter vocatur. Hieronymus ejus nomine Jus Romanum complectitur. Bertrandus notatus.* III. *A Prætore Urbis consultus. Præfectis consilia dedit. Principes sententias ejus amplexi, vel nominatim addito elogio, vel nomine tecto. Eum lubentius, quam alios sequuntur.* IV. *Theodosius ipsi primum locum dedit inter illos, quibus vim juris scripti concessit, in l. un. C. Th. de Resp. Prud. cujus emendatio firmatur: eadem ex temporum ratione illustratur.* V. *Paribus JCtorum suffragiis ea pars vincit, cui assistit Papinianus. d. l. un. cum l.* 8. *de*

Pactis collata. Freheri laus Papinianea. Servii, Chrysostomi, Isernia, Molinæi & Bartoli eadem prærogativa. VI. *Ulpianus, Paullus, & Marcianus in Notis Papinianum raro explicant, plerumque reprehendunt. Notæ non semper distinctæ à textu auctoris. Jacobi Gothofredi & Ruffardi errores castigantur.* VII. *Triumviri illi præ æmulatione & invidia Notas scripsere. Eorum dotes singulares, cum eruditione Papiniani collatæ.* VIII. *Ulpianus cavillis, Paullus rustica censura delectatus. Balduini, Fabri, & Schilteri, de hoc judicia. Papinianus subinde voce generali notatus à Paullo æmulo, non tamen in l.* 40. *D. de Reb. cred.* IX. *Paullus juris stricti religiosior, Ulpianus æquitatis, sed æquissimus Papinianus. Quædam eorum & Marciani notæ calumniosæ videntur Cujacio, Frehero, Bachovio, Raguello; quin ipsi Constantino & Theodosio, qui eas removerunt.* X. *L. un. C. Th. à Justiniano sublata, exæquata veterum auctoritate & notis restitutis. L. pen. C. de cond. ind. illustrata. Strauchius, Forsterus & Faber notati. Emblemata Triboniani.*

§. I.

§. I.

AD auctoritatem ſcriptorum Papiniani venio, quam judicio Principum, Prudentum, & privatorum meruere prorſus ſingularem. Neque enim mole nimia laborabant (ut ſcripturientium libri raro boni) neque jus ſtrictum & verborum apices ſectabantur; neque tricis inanibus erant involuta; ſed brevitate, æquitate, judicio & uſu inprimis, omnibus in foro & ſcholis ita ſeſe commendabant, ut complementum & quaſi coronidem Jurisprudentiæ Romanæ impoſuiſſe viderentur. Quanto in pretio ea fuerint, vel primum inde conſtat, quod Juris Profeſſores Romani auditoribus ſuis Papiniani ſcripta, velut totidem oracula, & commune juris Corpus explicabant: nec omnia, ſed octo tantum Reſponſorum libros; nec omnibus, ſed tertii demum anni diſcipulis: qui cum primo anno operam dediſſent τοῖς πρώτοις & Juſtiniano, ſecundo Edictis Prætorum, nunc tertio, à tractandis libris Papiniani, *Papinianiſtæ* dicebantur. Aperiam rem totam verbis Juſtiniani, in Conſtitutione *Omnem* §. 1. ad Anteceſſores ita ſcribentis: *In tertio anno quod ex utroque volumine, id eſt, de rebus vel de judiciis, in ſecundo anno non erat traditum, accipiebant ſecundum*

cundum vicissitudinem utriusque voluminis: & ad sublimissimum Papinianum ejusque Responsa via (ita pro *iter eis* ab Haloandro insertis legit L. Theod. Gronovius Emend. Pand. pag. 39.) *aperiebatur. Et ex prædicta responsorum consummatione, quæ decimo & nono libro concludebatur, octo tantummodo libros accipiebant: nec eorum totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis, & brevissima ex amplissimis, ut adhuc sitientes ab eis recederent.* Nulla scilicet pars in toto jure minus accurate à Jurisconsultis, quam formula hypothecaria, erat pertractata: inde ad acutissimi Papiniani Responsa recurrendum erat; quemadmodum & Justinianus prima quæque capita titulorum libri vigesimi ab eodem mutuatus est, cum alias priora communiter ex Ulpiani libris desumere amet. Hic autem attendere velim juvenes nostros, quam parum Justiniani præcepto audientes sint, qui vel plane non, vel primoribus tantum labris, ut canis è Nilo, interiores Jurisprudentiæ, id est Papinianeas doctrinas degustant; statim ad quæstuosas majorum rubricas se conferentes, & cruda adhuc studia in forum protrudentes. *Ita tertium post annum non jam Papinianistas, sed Papiniastros videmus, atque etiam, velut somno beatos ac Papinianos effectos.* scribebat

bat Budæus in annotat. ad Pandectas de Origine Juris. Evenit ſcilicet his quod de Brutidio narrat Tacitus III. Annali 66. *Brutidium artibus honeſtis copioſum, & ſi rectum iter pergeret, ad clariſſima quæque iturum, feſtinatio exſtimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremo ſuasmet ipſe ſpes anteire parat. Quod multos etiam bonos peſſum dedit, qui ſpretis quæ tarda cum ſecuritate præmatura vel cum exitio properant.* Hæc in parentheſi. Papiniani porro noſtri memoria ut magis commendaretur, atque perpetua velut apotheoſi conſecraretur, primi dies, quibus Studioſi adyta ſcriptorum ejus penetrabant, cum hilaritate feſti atque ſolennes celebrabantur; non ſecus ac Mucia feſta per Aſiam, Marcellea per Siciliam; & dein Juſtinianea, quorum mentionem facit Nicephorus, quæque in locum Papinianei ſucceſſiſſe videntur. Juvabit hic iterum Juſtinianum loquentem audiſſe in eadem Conſtitutione II. de Conceptione Digeſtorum §. 4. *Ne autem tertii anni auditores, quos Papinianiſtas vocant, nomen & feſtivitatem ejus amittere videantur, ipſe iterum in tertium annum per belliſſimam machinationem introductus eſt: librum enim hypothecariæ ex primordiis plenum ejusdem Papiniani fecimus lectione, ut & nomen ex eo habeant*

beant & Papinianistæ vocentur, & ejus reminiscentes lætificentur, & festum diem, quem cum primum leges ejus accipiebant, celebrare solebant, peragant: & maneat viri sublimissimi Præfectorii Papiniani & per hoc in æternum memoria, hocque termino tertii anni doctrina concludatur.

§. II. Nulli Jurisconsultorum tantus contigit honos. Sed non minorem dignationem Papiniano conciliat, quod ipsi Jurisconsultorum coryphæi Ulpianus, Paullus & Marcianus ad ejus auctoritatem passim, velut ad juris asylum, confugiunt, solo ejus assensu laudato robur & pondus Responsis suis quærentes. Hoc amplius vocabulis *recte*, *rectissime*, *& verum est*, *habet rationem* & ejusmodi aliis, eidem suffragantur. v. gr. in *l.* 8. *pr. D. de Inofficioso test. l.* 3. §. 2. *D. Quibus modis usufr. amitt. l.* 20. §. 8. *D. Familiæ erc. l.* 12. §. 14. *D. Mandati l.* 12. §. 6. *D. Qui potiores in pign.* Signanter Ulpianus ejus sententias, ut saniores, præfert sententiis summi Juliani in *l.* 20. §. 3. *D. de Acquirenda vel omitt. hered. l.* 32. §. 27. *D. de Donationibus inter vir. & ux.* & ceteri omnes facile calculum adjecerunt decisioni, quam à Papiniano factam constabat. Sic in Auditorio suo cum primus decrevisset, pactum in continenti stipulationi adjectum,

ei

ei inesse, actionemque ex stipulatu tollere ipso jure, & contractum facere temporalem, qui ante non erat talis, auctore Paullo *l.* 40. *D. de Rebus creditis*; communi consensu itum est in hanc sententiam, ut Justinianus ideo id *constitutum* esse scribat in *l. ult. C. de Legatis* à Prudentibus scilicet, qui constituere & Constitutiones facere dicuntur. In judiciis præterea Æmilii scripta pro auctoritatibus & authenticis allegata; quique preces Imperatori offerebant, in sententia ejus adjecta arcem intentionis suæ collocabant. Colligitur hoc ex *l.* 14. *C. de Prædiis & aliis reb. min.* ubi Impp. Diocletianus & Maximianus Phrominio rescribunt: *Utere viri prudentissimi Papiniani responso, ceterorumque, quorum precibus fecisti mentionem, sententiis.* Rursus Imp. Gordianus in *l.* 12. *C. de Legatis* Mutiano scribit: *Cum responso viri prudentissimi Papiniani, quod precibus insertum est, præceptionis legatum & omissa parte hereditatis vindicari posse declaretur: intelligis desiderio tuo juxta juris formam esse consultum.* Ob insignem hunc usum opera Jurisprudentiæ Papiniani statim post ejus obitum, vel etiam eo vivo & vidente, in unum volumen contracta sunt, quod Impp. Theodosius & Valentinianus *Corpus Papiniani* vocarunt in

l. un.

l. un. C. Th. de Responsis Prudentum. Nec nove! nam & Ulpianus *corpus Homeri* dixit in l. 52. §. 2. de Legatis lib. 3. *Corpus omnis Romani juris* Liv. lib. III. cap. 34. Σῶμα *Orationum* Cicero lib. II. ad Atticum Epist. 1. *Corpus Æneidos* Ovidius. Σωμάτιον Ἰλιάδος Longinus. Σῶμα τῆς Ἱστορίας Josephus. Adde Celeberrimum Eckium nostrum in Principiis juris civ. lib. 1. tit. 2. §. 12. juncto Salmasio ad Solinum & Historiæ Augustæ scriptores. Illud denique observatione dignum, quod Patrum decus Hieronymus, quando divinum jus cum humano confert, & Jurisconsultos Ethnicos Divo Paullo opponit, solum Papinianum, tanquam præstantiorem ex communi existimatione nominat, alios vero, ut minorum gentium Deos, silentio prætermittit, in epitaphio Fabiolæ Æliæ: *Aliæ*, inquit, *sunt Cæsaris legis, aliæ Christi: aliud Paullus noster, aliud Papinianus præcipit.* Bertrandus in vita Sabini eximistabat, sagacem Patrem hac in re imitatum videri Arrianum & Persium, qui Masurii Sabini appellatione totum jus intellexerint: sed qui novit acutum, mordax & Sabinianis infensum illud Stoicorum ingenium, is facile videbit, hos ironice magis, quam ex animi sui sententia Masurii mentionem fecisse. Vide, si tanti est, Orationem

tionem nostram inauguralem pag. 40. in notis, & quæ supra notavimus pag. 251.

§. III. Quod si deinceps ea tantum jucunda laus est, quæ ab his proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt, præter jam memoratos viros laudatissimos, Principibus quoque viris placuisse, non ultimæ laudi ducendum videtur. Citra meritum hi quidem encomia aut honores subinde & timentes decernunt & amantes: at unum argumentum est veræ benevolentiæ, si ii, qui celebrantur, diem suum jam obierunt. Diligens autem Codicis lector observabit, Imperatores nunquam, nisi insigni aliquo & honorifico titulo præmisso, Papinianum ejusque scripta nominare. Vidimus id jam supra pag. 167. & alibi: quapropter hic tantum, quæ ad confirmationem operum & sententiarum ejus pertinent, attingemus. Tempore Severi & Antonini totum negotium judiciarium auctoritate ejus peractum esse, nemo forsan ambiget. Vetus quippe illa consuetudo, de qua Cicero in Topicis testatur, ut rerum privatarum judicia in Jurisconsultorum prudentia essent posita, hoc ævo adhuc durabat. Exemplum consultationis à Prætore Urbis ad Papinianum missæ extat in *l. 2. D. de Pactis dotal.* quemadmodum ad Celsum JCtum in *l. 3. §. 1. D.*

de Minoribus. Præfectis etiam Prætorio se consilium dedisse ipse scribit in *l.* 3. §. 3. *D. de Usuris*. Suam item *sententiam*, edita Constitutione, *Optimum Imperatorem Severum secutum*, gloriatur in *l.* 67. §. 9. *D. de Legatis lib.* 2. Et merito! Vix enim Principes aliquid de jure constituebant, sine auctoritate & sententia Jurisconsultorum. Edicta illorum vim quidem legis obtinebant; Rescripta vero & Decreta in aliis causis, tum demum, si Juris principiis consentanea essent, usuque fori reciperentur. Ulpianus ideo in *l.* 14. *D. de Appellationibus* scribit: *D. Pius appellare eis permisit, & hodie hoc jure utimur.* Idem auctoritatem Jurisconsultorum Constitutionibus Principum hac propter præmittit in *l.* 7. *D. de Conditionibus & dem.* & *l.* 7. §. 16. *Quibus ex causis in poss.* ubi: *Extat Neratii sententia existimantis, bona esse vendenda, & hoc Rescripto Adriani continetur: quo jure utimur.* Similiter Papinianus auctoritatem Neratii præfert Constitutioni Divi Pii *d. l.* 67. §. 8. *Non est Neratii Prisci sententiæ, nec constitutioni locus.* & Justinianus §. 4. Inst. de Usucapionibus: *Papinianus scripsit, & Divi Severus & Antoninus rescripserunt.* Penes Jurisconsultos etenim justi atque injusti erat arbitrium, nec quicquam Constituti reve-

rentia

rentia eos cohibebat, quominus in alia omnia abirent: cujus elegans exemplum eſt in *l.* 1. §. 14. *D. Ad Legem Falcidiam.* Ex his quoque apparet, cur Imperatores Gordianus, Decius, Carus Carinus & Numerianus, Diocletianus item & Maximianus, denique Juſtinianus tam libenter Papiniani auctoritate nominatim, idque cum ſummis *Viri Conſultiſſimi, Prudentiſſimi, Sapientiſſimi, Diſertiſſimi, Acutiſſimi* elogiis, Conſtitutiones ſuas firmare voluerunt in *l.* 12. *C. de Legatis l.* 3. *C. de Acquir. vel ret. poſſ. l.* 16. *&* 30. *C. de Fideicommiſſis l.* 14. *C. de Prædiis & aliis rebus min. l.* 6. 8. *&* 9. *C. de Inſtitutionibus & ſubſtitutionibus. l.* 14. *C. de Sententiis ex peric.* Quemadmodum enim Pythagoras tantæ inter Philoſophos fuit auctoritatis, ut ad omnium quæſtionum deciſionem ſufficeret, ſi ille allegaretur, dicendo αὐτὸς ἔφα: ſic etiam Principibus ad dirimendas controverſias ſatis fuit, *Ipſum* ita reſpondiſſe. In Inſtitutionibus ſexies ad eum provocat Juſtinianus §. 2. *de Excuſ. tut.* §. 7. *de Suſp. tut.* §. 8. *de Rer. diviſ.* §. 4. *de Uſucap.* §. 14. *de Legatis* §. 7. *de Fideic. her.* Semel contra eum reſcriptum, ait §. 1. *de Codicillis:* ſed pro Papiniano pulchre facit Plinius lib. II. Epiſt. 16. Nonnunquam Principes tecto quoque nomine, Reſponſa

ejus laudant, ut Gordianus in l. un. C. de Vacatione publ. mun. *merito responsum* ait, videlicet à Papiniano lib. 1. Responsorum in *l.* 8. §. 2. *D. de Vacatione & excus. mun.* Sic Alexander in l. 1. C. si Mancip. ita fuerit al. tradit, Constitutionem Marci & Commodi ad servos donatos pertinere *placuisse:* scilicet Papiniano in *l. penult. D. Qui sine man. ad lib.* Sed & ita eminuit Papinianus, ut ejus opinio adversus alios probetur auctoritate Principali. Multa mihi sunt testimonia; sed primas dabo Constantino in l. ult. C. de Sententiam passis: *In quæstione testamenti, quod deportati filius remanente patre fecisset, remotis Ulpiani atque Paulli notis, Papiniani placet valere sententiam.* Hunc Decii Imperatoris verba excipiant ex l. 3. C. de Acquir. vel ret. *Quamvis enim,* inquit, *sint auctorum sententiæ dissentientes, tamen consultius videtur interim possessionem esse quæsitam, sicuti Consultissimi Viri Papiniani Responso continetur.* Quod Responsum alibi non reperitur. Justinianus itidem in *l.* 8. *C. de Instit. & substit.* derogat sententiæ Marcelli, quæ est in *l.* 9. §. 5. *D. de Hered. inst.* ducto argumento ex Responso Papiniani in *l.* 77. §. *fin. D. de Legat. lib.* 2. Rursus in *l. pen. C. de Condictione indebiti* repudiata Ulpiani, Celsi & Marcelli opinione,

nione, *nobis hæc decidentibus*, inquit, *Juliani & Papiniani ſententia placet.* Vide Emundi Merillii Commentarium ad 50. Deciſiones *hac l.* Iterum in materia legatorum Paullo in *l.* 82. *pr. D. de Legatis lib.* 2. prævalet Papinianus, judicio Imperatoris in §. 14. Inſt. de Legatis, ibi: *Papinianus ſcripſit utile eſſe legatum: quod & verum eſt. Non enim placuit ſententia exiſtimantium &c.* Sententiam Papiniani habet *l.* 5. *D. ad Legem Falcidiam.*

§. IV. Quantum ſatis eſt demonſtravimus nullum Juriſconſultorum fuiſſe unquam, in quem Principes tot laudes & ornamenta conjecerint, quam quidem in Papinianum. Sed major honos excogitari non poteſt, quam qui eidem defertur conſtitutione Impp. Theodoſii Junioris & Valentiniani III. ad Senatum urbis Romæ in *l. un. C. Th. de Reſponſis Prudentum.* Eam quia Tribonianus in Codice ſuo nobis invidit, ex unico illo & ſincero Conſtitutionum Imperatoriarum ſacrario integram abſcribo. Verba Conſtitutionis: *Papiniani, Paulli, Caji, Ulpiani atque Modeſtini ſcripta univerſa firmamus ita, ut Cajum, atque Paullum, Ulpianum, & ceteros, comitetur auctoritas Lectionis, quæ ex omni opere recitatur. Eorum quoque ſcientiam, quorum tractatus atque ſen-*

tentias prædicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam esse censemus, ut Scævolæ, Sabini, Juliani atque Marcelli, omniumque, quos illi celebrarunt. Si tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur. Ubi autem diversæ sententiæ proferentur, potius numerus vincat Auctorum: vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat: qui, ut singulos vincit, ita cedit duobus. Notas etiam Paulli atque Ulpiani in Papiniani Corpus factas (sicut dudum statutum est) præcipimus infirmari. Ubi autem pares eorum sententiæ recitantur, quorum par censetur auctoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio judicantis. Paulli quoque sententias semper valere præcipimus. Tria hic potissimum in honorem & prærogativam Papiniani constituta. Primum ejus scriptis auctoritas datur, ut in judiciis, tanquam leges authenticæ & jus scriptum, obtinerent ex hoc tempore, nec Judici ab ejus decisionibus recedere liceret. Magna quidem Responsorum & Quæstionum ejus pars Fori disputatione jam dudum recepta, & Principum Rescriptis probata erat: omnia tamen opera nondum vim legis acceperant, quin & ista hactenus juri non scripto annumerata, ex more antiquo civitatis,

quem,

quem, post Ciceronem, certus auctor refert Pomponius *l.* 2. §. 5. *de Origine juris.* Interim maxime sese mihi probat Jacobi Gothofredi Viri Cl. conjectura in hac *l. un.* pro *& ceteros*, *ut ceteros* legentis, una littera ut sæpius alibi mutata. Vide Ampliss. Bynkersh. lib. 2. Obs. cap. XI. Sic vero efficitur, Papinianum & Modestinum, jam ante hanc sanctionem plus auctoritatis, quam ceteri tres, qui repetuntur, habuisse. Sane insignis eorum eruditio, fama, auctoritas & verba *sicut dudum statutum est* ejusmodi aliquid suadere videntur. Ad scopum autem Theodosii ut veniamus, notandum est, quod vetus & sincera Romanæ Jurisprudentiæ memoria hoc ævo ferme decoxerat, & juris civilis scientia, quæ Scævolas, Papinianos, & Paullos in amplissimum dignitatis gradum extulerat, nunc multorum camelorum onus, & libertorum artificium habebatur. Vivebat temporibus Valentiniani Valentisque Ammianus Marcellinus. Is libro XXX. narrat, suo jam tempore, qui juris scientiam profiterentur, non tam homines, quam larvas fuisse: quorum nonnulli ita rudes, ut nunquam se Codices habuisse meminissent, sique in circulo Doctorum auctoris veteris incideret nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum

 arbitra-

arbitrarentur. Theodosius igitur pro his tenebris ut lumen accenderet priscis Jurisconsultis, non magis quidem libros eorum, quam Sibyllinos, præ reverentia attingere aut in ordinem cogere ausus est; legum tamen vim eis tribuit, nec omnibus; quia ipse in Novella de Codicis Theodosiani auctoritate scribit: *quod tam pauci rarique extiterint, qui plena juris civilis scientia ditarentur, ut in tanto lucubrationum tristi pallore, vix unus aut alter receperit soliditatem perfectæ doctrinæ.* Ex his autem paucis, quinque hac *l. un.* profert, sed ita, ut Papinianus familiam ducat, ceu collegii Præsul, coryphæus, & Jurisprudentum perfectissimum caput.

§. V. Altera prærogativa illa est, quod si diversæ essent Jurisconsultorum sententiæ, & par utriusque sectæ numerus, ea jubetur, tanquam Minervæ calculo, prævalere cum qua staret Papinianus; qui ut singulos vincit, ita non vincitur, nisi à duobus. Quoties vero impares sententiæ essent, minoris numeri voces oportet cedere majoribus, etsi illæ addictum sibi haberent Papinianum. Postulat hoc rei natura, ut in dirimendis litibus, ubi non ipsam tantummodo veritatem, sed simul exitum negotiorum spectamus, pars major vincat minorem,

norem, etsi meliorem. Egregie Plinius lib. II. Ep. 12. *Numerantur*, inquit, *sententiæ, non ponderantur: nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa, nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est.* Ceteri quoque Jurisconsulti in hac constitutione nominati, Scævola, Julianus, Sabinus, Marcellus, Cajus, Paullus, Modestinus, Ulpianus, non ita nimio inferiores Æmilio, sed & ipsi doctissimi, sapientissimi & peritissimi fuerunt. Huc item facit lex illa Romanorum, de qua Symmachus lib. IV. Epist. 27. & ante eum Cœlius apud Ciceronem lib. VIII. Epist. 8. *Quod horum judicum major pars judicaverit, ratum esto.* Atque ita Scævola in *l.* 19. *ad Municipalem*, Ulpianus *l.* 17. §. 1. *de Recept. arb.* & ipse Papinianus in *l.* 8. *D. de Pactis*, verbis sequentibus Theodosio præivisse videtur: *Quod si æquales sint in cumulo debiti, tunc plurium numerus creditorum præferendus est: in numero autem pari creditorum, auctoritatem ejus sequetur Prætor, qui dignitate inter eos præcellit. Sin autem omnia undique in unam æqualitaten concurrant, humanior sententia à Prætore eligenda est.* Ecce! quemadmodum in hac specie quantitas vincit, non numerus; numerus, non dignitas; di-

 gnitas,

gnitas, non humanior sententia: sic & in Responsis Prudentum, sicubi diversæ sint ipsorum sententiæ, non ratio melior vincit, sed numerus auctorum: si paria inter se suffragia collidant, ejus partis præcedit auctoritas, cui Papinianus assistit: Si neutri jungatur Papinianus, inter opiniones æquales obtinet ea, quam Judex eliget, ut humaniorem. Habebat Constitutio hæc sua incommoda, scio, & infra dicam, nec tamen ratione caret, quod ejusmodi prærogativa scriptis Papiniani tributa est. Nullus enim unquam tam alte penetravit in naturæ & Juris civilis arcana, intimosque recessus & latebras omnes scientiarum indagavit, quam hic Æmilius, sine exemplo maximus. Inde factum, ut omnis posteritas ingenii ejus monumenta & labores in sæculi gloriam & Reipublicæ utilitatem emensos præ ceteris laudarit, ac velut Timantis tabulas suspexerit, in quibus plus semper intelligebatur, quam pingeretur. Appositum judicium est Marquardi Freheri Viri Cl. de Fama lib. II. cap. 18. num 32. *Numeranda*, inquit, *utrinque sunt Dd. suffragia; & si utraque sententia magnos duces, claros Jurisconsultos habet, præferenda, quæ in numero excessu prævalet vel modico. Sin altera sententia adstipulatores habeat majoris auctoritatis, ea potius eligenda*,

eligenda, etsi illi sint numero pauciores. Inæqualitas enim illa pensatur prægravatione auctoritatis, cum magnus aliquis & primarius Doctor, velutique Coryphæus, duobus vel pluribus minoribus & gregariis & minorum gentium legulejis haud dubie æquipolleat. Talis fuit ille nunquam satis laudatus Æmilius Papinianus, juris Asylum & doctrinæ legalis Thesaurus, quem ut Imp. Alexander Vergilium, Platonem Poëtarum, & Lactantius Herculem Africanum inter Deos, sic ego Platonem & Africanum inter Jureconsultos nominare soleo. Hujus enim auctoritati tantum tributum est, l. 1. C. Th. cetera. Non etiam hæc res caret exemplis similibus, tam veterum, quam recentiorum. Scævola in *l. 69. §. 3. D. de Evictionibus* scribit: *Sed auctoritas Servii prævaluit, existimantis &c.* In Orientali Ecclesia Joannis Chrysostomi tanta fuit auctoritas, ut contra omnes Patres, locum quendam Sacræ Scripturæ, secus quam ipsi visum esset, interpretantes, unius sententia obtineret, sicut refert Auctor incertus ipsius vitæ cap. 37. Andream Isernia scribit Matthæus Afflictis decis. 398. in regno Neapolitano tanti fuisse, ut in judiciis ejus opinioni priores partes deferrentur. Idem de Carolo Molinæo in foro Galliæ testatur Mornacius: & Joh. Baptista

de

de Gazalupis lib. de modo ſtudendi in jure docum. ſ. narrat: Bartolo in Hiſpania & Luſitania eandem prærogatiuam ex decreto Regio conceſſam. Sed hujus fides ſit penes Auctorem. Aliud certe ſedit Cujacio lib. XII. Obſ. c. 16. *Inter pares*, ait, *ſententias obtinet magis ea pars, in qua Papinianus fuerit; quod honori forſitan Bartoli etiam facile quidam deferant, quem alii ſaccum legum, alii lucernam juris vocitant, eadem forma, qua Plato quendam* θύλακον λόγων *appellavit. Sed non ego facilis neque credulus illis. Nam neque* δικαιομάστιγας *hujusmodi Jurisprudentibus comparaverim, & Accurſium longe corona donaverim, à quo quidquid aberrat Bartolus, vanæ fictiones & ægri ſomnia videntur.*

§. VI. Ultimum Papiniani Προνόμιον eſt, quod Theodoſius & Valentinianus Notas Paulli & Ulpiani in Corpus Papiniani factas, infirmari præcipiunt. *Notare* & *notas ſcribere* in libris noſtris dicuntur Juriſconſulti, qui alterius, ſive ejusdem ſive diverſæ ſectæ, ſcriptis opiniones ſuas attexunt, adjuvandi, ſupplendi, extendendi, limitandi, potiſſimum vero redarguendi & improbandi gratia. Plane Claudius Tryphoninus explanandi cauſſa notas ſcripſit ad Scævolam: Servii autem Sulpitii ad Q. Scævolam

lam notas *reprehensa Scævolæ capita* vocat Gellius lib. IV. cap. 1. Ulpius item Marcellus fere semper in notis à Juliano dissentit, ne vel parva quidem rima præterita, in qua non figat aculeum: quapropter iterum à Scævola, Ulpiano & Paullo notatus est & rejectus. Eadem notione Horatius de Arte Poëtica: *Mutanda notabit, fiet Aristarchus.* id est, obelo nigrove signo apposito redarguet; ut Cicero in Epistolis, *alter Aristarchus hos ὀβελίζει.* Idem Flaccus lib. I. Sat. 3. ℣. 24.

Stultus & improbus hic amor est, dignusque notari.

Exemplo igitur Criticorum pluriumque Jurisconsultorum, Ulpianus & Paullus, etiam Marcianus, à Theodosio ejusque eruditissimo interprete prætermissus, notas in Papiniani libros scripserunt. Marcianus quidem tantum in libros de Adulteriis, ut ex fragmentis colligitur. *l.* 57. *D. de Ritu nupt.* & *l.* 7. *D. ad L. Juliam de adult.* Cujus & forte nota est, quam Pithœus indicavit tit. IV. Collat. LL. Mosaic. n. 10. Paullus in libros Quæstionum & Responsorum, cujusmodi non octo tantum (ut Jacobus Gothofredus volebat) sed plures notæ in Pandectis occurrunt, in *l.* 1. *in fin. D. de Officio ejus cui mand. l.* 16. *D. de Publiciana*, *l.* 18.

D.

D. de Servitutibus, *l. 72. in f. D. de Contrahenda emtione*, *l.* 1. §. 2. *D. de Usuris*, *l.* 13. *D. de Rebus eorum qui sub tut. l.* 9. *D. de Annuis legatis*, *l. ult. D. de His quæ in test. l.* 42. *pr. D. de Bonis libert. l.* 116. *pr. D. de Verborum Obl. l.* 8. *pr. D. de Præt. Stipul.* Ulpiani unica nota extat in librum 2. Responsorum *l.* 31. §. 2. *D. de Negot. gest.* Somniumque adeo merum est, quod Russardus ad Indicem Jurisconsultorum nobis propinat, quasi Ulpianus in solos Quæstionum libros notas scripserit, de quibus ne γοῦ quidem constat; etsi non diffiteor, ad hos quoque eum annotasse. Quod enim Antonius Augustinus l. 1. Emendat. cap. 6. in libris ad Sabinum, ad Plautium, ad Ursejum & Vitellium, subtiliter animadvertit, non semper distincta esse nomina notatorum à nomine illius, ad quem commentantur: idem in libris Quæstionum Papiniani summus observavit Cujacius, ad *l.* 42. §. 2. *D. de Bonis libertorum*, ubi verba Paulli: *Sed & in patrono idem erit dicendum*, non sunt, ut in principio, per *Paullus notat* discreta. Pariter in *l.* 19. *D. de Jure codicillorum* verba: *imo duntaxat partem debet* manifestam notam continent Ulpiani, nec tamen ejus nomen adscriptum habent. Adde quæ supra pag. 262. sumus hariolati.

Jam

Jam quod ad finem notarum attinet, familiaris & adamata Papiniano brevitas interpretationem aliquando efflagitabat. In *l.* 1. §. 1. *D. de Officio ejus cui mand.* verius esse statuerat, more majorum jurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium, quod Lege datur, non posse transire; ideoque neminem dicere, *Legatum Proconsulis animadversionem habere, mandata jurisdictione.* Ad quæ Paullus notat: *Et imperium, quod jurisdictioni cohæret, mandata jurisdictione transire, verius est.* Notat dico, id est interpretatur, non refutat, quod ob repetitam vocem *verius* prima fronte videri posset. Vox autem *animadversionis*, qua Papinianus usus erat, generalior videbatur, quia modicam quoque coërcitionem complectitur: ne quis igitur ita acciperet, cavendum fuit. Similiter in *l.* 31. §. 2. *D. de Negotiis gestis* Ulpianus notat, id est, addit rationem perelegantem: *Hoc verum est, quia frustrator condemnatus est.* Est etiam ubi uterque gravissimas dissentiendi causas habuit, ut Paullus in *l.* 1. §. 2. *D. de Usuris* Ulpianus *l.* 12. §. 42. *D. de Fundo instructo* & *l.* 17. §. 4. *D. ad SCtum Trebell.* quibus in locis merito reprehenditur Papinianus, nec quicquam ideo de ejus existimatione fuit detractum: nam Jurisconsultis diversas

inter

inter se opiniones tueri concessum est, ut Fabius quodam loco ait.

§. VII. Econtrario & hoc observare libet, fuisse Triumviris illis Ulpiano, Paullo & Marciano studium nimium Papiniano contradicendi, quoties ejus vel levissima occasio daretur. Erat noster ad hoc famæ fastigium enixus, ut palmam Jurisprudentiæ obtineret; igitur æmulatio & invidia illos exstimulabat, ut dente Theonino ejus scripta arroderent, & mortuo leoni, quem ante metuerant, acerbius insultarent. Alios plerumque dum vivunt invidia fatigat, ubi vero anima naturæ cessit, demtis obtrectatoribus ipsa se virtus magis extollit: hic ordine inverso, cum Principis furore Æmilius suorum quoque Assessorum aculeos in cinere experitur. Ita vere Juvenalis Sat. X. ℣. 73.

Turba Remi sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos.

Alit æmulatio firmiores profectus in litteris, & magnorum virorum errores notari, publice prodest, dum id modeste & sine scurrilitate fiat. Maledicta, contumeliæ, argutiæ, ut turpes impotentis animi fetus, Jureconsultis indignæ sunt, qui veram non simulatam Philosophiam profitentur. Sed quia Ulpianus & Paullus ad eosdem honores adspi-

adſpirabant, gratia Caracallæ, ſub quo notas & alia pleraque emiſerunt, captanda erat, & perſtringendus Papinianus, ut hoc prudentiores viderentur. Nec ſane hi inter minorum gentium Juriſconſultos numerandi, qui nulla uncia cum Papiniano conferendi, aut vix (ut jocorum Poëta ait) ei porcos paſcere, ant matellam præſtare digni videri poſſint. Uterque *Prudentiſſimi* elogio ornatur. *Prudentiſſimus vir Paullus*, l. 6. C. de Nuptiis: *Vir prudentiſſimus Ulpianus* l. 11. C. de Quæſt, Uterque pervenit ad Præfecturam, ſummum dignitatis culmen, *l.* 4. *C. Locati* Lampridius in *Alex. cap.* 26. Utrumque etiam Modeſtinus, titulo ad invidiam glorioſo, *Coryphæos Prudentum* facit, & Papiniano præfert ſuum præceptorem in *l.* 13. §. 2. *D. de Excuſationibus*. Dotes porro utrique fuerunt ſingulares, ſi ad ingenium & ſcripta oculos vertamus. Nemo Juriſconſultorum tanta Phyſicarum, Politicarum & Oeconomicarum, etiam minutiſſimarum ac exoticarum rerum ſcientia & uſu polluit, quam hi Duumviri. Si titulos de Ædilitio edicto, de Tritico vino & oleo, de Auro & argento, de Inſtructo vel inſtrumento legato, de Penu legata percurras; omnem rem medicam, inſtitoriam, ruſticam, fabrilem, ve-

T ſtiariam,

ſtiariam, nauticam & unguentariam eos calluiſſe deprehendes. Deinde ad laudem Ulpiani propriam egregia docendi & diſſerendi facultas pertinet, quam in libris ad Edictum præcipue oſtendit, ubi à vocum origine & ſignificatione aſcendit ad rerum definitiones & partes, quas mox ſingillatim exponit: quæ cauſſa eſt, quod titulorum capita priora ex ejus libris Tribonianus deſumſit. Paullus omnium Jurisconſultorum πολυγραφώτατος fuit, ceterosque diligentia & librorum numero ſuperavit, quemadmodum ex Indice Pandectis præfixo conſtat. In arduis quæſtionibus non ſubtilitatem tantum, ſed & uſum fori amavit. Unde Theodoſius Receptarum ejus ſententiarum libros, ob dignitatem & utilitatem certam, *ſemper valere præcepit d. l. un.* niſi verius, clauſulam hanc à manu Gothorum eſſe; ut contra Virum Doctiſſimum, (eſt is Galvanus de Uſufructu cap. XVI. n. 13.) prærogativam inde Paullo præ Papiniano quærentem, ſatis veriſimiliter diſputat Gothofredus in commentario. Quanta autem hæc fuerint animi bona, ſi ad noſtri ævi ignaviam reſpiciamus, non tamen ſunt tanta, ut Papiniano palmam dubiam facere queant. Docuit is ſine exemplo Romanam juſtitiam ſcriptis, & ſui ipſius capitis pernicie,

cie, vir unus priscis Reipublicæ temporibus dignus. Ut Homerus unus est Rex Poëtarum & doctrinarum parens: sic unus Jurisconsultorum princeps, & civilis prudentiæ stator est Papinianus. Nullus tot capitibus auxit Jurisprudentiam, quam ille omnis juris colossus sublimis, omnis inquam, & sacri & profani, gentium & civilis, antiqui & novi, publici & privati peritissimus, Suadæ medulla, ipsa Siren. Ac sane verbis assequi non possem, quantum ei debeat Jurisprudentia Romana: sed ubi res ipsa loquitur, non opus est pluribus verbis. Quod si cui contra ire libeat, eum ad solos Responsorum libros ablegabo, in quibus hoc maximum est, quod in plurimis neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari possit, inventus sit. Magni certe viri semper visum fuit, eorum vim & subtilitatem animo complecti. Unde *Solis his*, Papiniani Responsis, *à Professoribus traditis*, *Paulliana responsa per semetipsos studiosi recitabant: neque hæc in solidum, sed per imperfectum, & jam quodammodo male consuetum inconsequentiæ cursum.* ex more majorum refert Imperator *Constit. Omnem* §. 1. Tanta nimirum in Papiniani scriptis undique lucebat utilitas, gravitas & acumen ut publice in scholis explicanda viderentur:

derentur. Paulliana sine doctore & frigide à studiosis lecta, non quod faciliora, sed quia non tanti interesset, ea recte percepisse. Fulgosii & Bertrandi de Paulli obscuritate expostulationes prætereo, ut satis notas: unius Duareni verba abscribam ex Comment. ad l. 132. d. Verbor. Obl. *Hoc scribendi genus*, inquit, *vere Paulinum*, *id est obscurum*, *implicatum ac tortuosum*; *ut Heraclitus quidam hic esse Paullus videatur*, *qui à veteribus* Σκοτεινὸς *appellatus est*. Ad polymathiam eorum si quis provocet, dicam, non minorem in Papiniano fuisse, qui omnium scientiarum latifundia penetravit. Existimavit autem se, arte & honore suo esse indignum, de servo, qui urinam in lecto facit, verba facere; aut de his quæ esui potuique sunt, de omnibus vini generibus, de instrumenti rustici & urbani discrimine, de reticulis, mitris & semimitris sexus elegantioris disserere, quæ circumforaneus aliquis, aut Apicius, aut nugivendus institor curatius dijudicaret. Nihil hæc ad Edictum Prætoris. Polygraphiæ laudem in Paullo non mirabuntur, qui Papinianum anno ætatis trigesimo septimo trucidatum credunt; plus lucis & dignitatis juri civili ab eo promittentes, si justam ætatem implere potuisset, & ad eam pervenire canitiem,

tiem, quæ vel Juliano, vel Javoleno, vel Pomponio contigit. Nobis sufficit, non adeo insatiabile scribendi cacoëthes eum tenuisse, ut ineptis Stoicorum Etymologiis chartam commacularet, aut petitis & retractatis undique particulis multa volumina compingeret. Non quantum, sed quam bene quisque scripserit, in regno litterario æstimatur. Liceat igitur nasutulis his obtrectatoribus occinere illud Horatii lib. I. Sat. 3. ℣. 19.

- - *Nunc aliquis dicat mihi, quid tu?*
Nullane habes vitia? Imo alia haud fortasse minora.
Mænius absentem Novium cum carperet: Heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an tu ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mî ignosco, Mænius inquit.
Stultus & improbus hic amor est, dignusque NOTARI.
Cum tua prævideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut Aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit; inquirant vitia ut tua rursus & illi.

§. VIII. Hac tamen studiorum fiducia

freti, Notas illi ad Labeonem, Sabinum, Plautium, Julianum, Ariſtonem, Scævolam, Javolenum, Marcellum, etiam ad Papinianum ſcribere affectarunt, tanquam omnium Judices & Cenſores. Ceſſit hoc aliquando feliciter, ut hujus etiam victores plus ſemel abirent: vellem tamen modeſtius cum eo egiſſent, nec invidiam verbis durioribus declaraſſent. V. gr. Ulpianus in l. 7. §. 10. D. de Minoribus: *Quod Papinianus ait, non per omnia verum eſt*, & in l. 12. §. 42. & 43. D. de Inſtructo vel inſtr. *quod de artificibus ait, falſum eſt*. Nec civilius Paullus in l. 60. §. 4. D. de Ritu nupt. *Et ait Papinianus - - Sed mihi hoc nequaquam placet; iniquum enim eſt*. Quid miramur? Familiare Ulpiano fuit argutari & cavillis uti, ipſis thermis Neronianis frigidioribus: quamobrem ſuo merito Ulpiano iſti Tyrio, quem Theodorus Cynulcus apud Athæneum σοφιστὴν & ὀνοματοθήρον appellat, quemque alii cum hoc confundunt, comparatur. Vide *l. 1. §. 1. D. de Peculio* & *l. 7. §. 4. Quibus ex cauſ. in poſſ.* Paullus vero ſtudio carpendi abreptus, cenſuram magnorum virorum, non ſine ambitione, adamaſſe videtur, immemor invectivæ ſuæ in calumnioſos illos annotatores in *l. pen. D. Ad exhibendum* & *l. 82. §. 2. de Legatis lib. 2.*

Ipſe

Ipse enim Q. Mucii sententiam *ineptissimam* vocat in *l.* 3. §. 23. *D. de Acquirenda vel om. poss.* & Labeonem *falsum* esse ait, in *l. ult. D. Si servitus vind.* Nec satis bona fide cum eo agit in *l. ult. ad L. Rhod. l. pen.* §. 1. 2. *D. de Acquirend. rer. dom. l. ult. D. de Usucap.* Rectum est judicium Francisci Balduini in Scævolis pag. 298. *Sed ita est profecto. Paullus nimium lubenter captat, quod in aliis, præsertim majoribus Jurisconsultis, carpat & reprehendat: neque raro est ineptus in ambitiosa affectatione cujusdam censoriæ animadversionis.* Adstipulatur Faber ad l. 145. de Regulis juris: *Ex opinione Labeonis, qui calumniose (ut arbitror) notatur à Paullo.* Magis ad rem nostram Schilterus Exercitatione ad Pandectas 39. §. 60. *Jampridem observarunt docti, Paullum hominem Tyrium & Græcæ linguæ peritiorem, in Romanarum vocum interpretatione sæpius quid innovasse; sed & virum singularis ingenii à Papiniano dissensisse non raro, nedum à veteribus; ut Sabino & Vitellio, in quem notas & animadversiones scripsit, imo Principum ipsorum decreta sæpe improbasse.* Ita est, nemo plus vapulat in scriptis Paulli, nunc nominatim, nunc sub appellatione generali: quin in ipso auditorio sæpe assessor cum Præfecto rationibus contendisse, & libere, ut decebat, sen-

tentiam suam defendisse videtur, ut libri ejus Decretorum ostendunt. Notabilis valde est *l.* 97. *D. de Acquirenda vel om. hered.* ubi ipse Paullus opinionem suam Papiniani decreto repudiatam profitetur, quod more suo morosissimo iniquitatis tacite arguit his verbis: *Papinianus putabat, repudiasse ex priore hereditatem; ex posteriore autem non posse adire. Dicebam, Non repudiare eum, qui putaret, posterius valere. Pronuntiavit Clodium intestatum decessisse.* Similia in *l. ult. D. Quod cum eo qui, l. ult. D. de Jure Fisci, l.* 38. *D. de Minoribus* observavit Cujacius lib. II. Obs. c. 26. Alibi eundem Præsidem suum cum assectis tam aperte vellicare non audens, voce generali *quidam* utitur, si vera est Cujacii sibi non constantis conjectura, in *l.* 5. *D. de Separationibus* juncta *l.* 3. §. *ult. eodem*, *l.* 44. §. 8. *D. de Conditionibus*, *l.* 6. *D. de Fideicomm. libert. l.* 27. §. 1. *D. de Legatis lib.* 3. Fortassis etiam ubi non dissensit, simultas inveterata Papinianum laudare, ejusque nominato testimonio uti vetuit v. gr. in *l.* 1. *D. Usufructuarius quem. cav. l.* 2. §. 4. *Pro emtore.* Qua tamen in re suum cuique judicium relinquo; potuisset enim præterire. Quos maxime colimus, hoc loquendi genere sæpe designamus, ut omnis adulatorii animi nota vitetur.

vitetur. Vide Bertrandum in vita Paulli pag. 146. Viglio denique Zuichemo ad §. 7. Inst. Quib. mod. test. & Cujacio ad lib. III. Quæst. Paul. in *lecta* 40. *D. de Rebus cred.* verbis *ut ille putabat* Papinianum in Paulli notam incurrere existimantibus, acute admodum regerit Amplisf. Bynkershoek lib. sing. ad h. l. sic non obtinuisse sententiam Paulli in auditorio, cujus moderator & arbiter erat Papinianus.

§. IX. Varias attullimus notarum causas, quibus binæ accedant, ab indole & secta notatorum desumtæ. Omnium ætas in ea incidit tempora, quibus deferbuerat Sectarum æstus, idque opera dabatur, ut dissidentes veterum sententiæ per viam mediam conciliarentur. Diversas autem hi Miscelliones ingressi compositionis vias, prout in hanc illamve scholam erant procliviores, aut ingenium & Philosophia ad æquitatem magis vel jus strictum eos propellebat. Hactenus quidem belle conveniebant Paullus & Papinianus, quod uterque Sabini sectator: dissimilis vero utrique Ulpianus, quod Proculi opiniones sequebatur. At Paullus minime Sabinianum se præstitit eo, quod juris subtilitates & strictam disputandi rationem amavit: Ulpianus vero & Papinianus, ad æquitatem proniores, quantum li-

 cebat,

cebat, benigniorem sententiam amplectebantur. Ita naturalis inclinatio vicit sectam, ut rarius Paullus, sæpissime Ulpianus Papiniano consentiret. Sic Paullus in l. 27. §. 1. D. de Legatis lib. 3. *Mihi ab omni voluntate recessum videbatur. Placuit humanius interpretari, & ita pronunciavit*, scilicet Papinianus. Contra Ulpianus in l. 20. §. 3. D. de Adquirenda vel om. her. *ut Papinianus ait, quæ sententia humanior est, licet Julianus contra scripserit*. Alibi, ubi Ulpianus purus putus Proculejanus, Papiniano adversatur, ut in quæstione *l. pen. C. de Condictione ind.* ubi Scholæ suæ auctores ad partes vocat, sibique refert consonantes. Marcianus autem, velut Erciscundus, Papinianum & Paullum in diversa euntes adhibita distinctione, conciliare conatus est, auctore Justiniano in *l.* 10. *C. de Adoptionibus*. Ceterum rigidiores Triumviros hos nonnunquam fuisse, dumque indomito carpendi studio abrepti, humani aliquid passos, jam dudum observatum est. Marciani notas non tam interpretationis, quam reprehensionis causa adornatas, profitetur Franciscus Raguellus ad *l.* 1. *C. de Vetere jure enucl.* Ulpianum in *l.* 7. §. 10. *D. de Minoribus* bis Papiniano aliquid affingere, ut calumnietur, in comment. ad Lib. II. Respons.

Cujacius

Cujacius animadvertit; eique assentiens Bachovius ad *τὰ πρῶτα dicto tit. cap. 5. jejunam cavillationem* Ulpiani censuram appellavit. Præ livore item Papinianum ab Ulpiano in *l.* 20. *D. de Minoribus*; à Paullo vero in *l.* 116. *D. de Verborum obl.* inique reprehensum esse, speciosis argumentis adstruit Marquardus Freherus lib. 1. Verisimil. cap. 13. & 24. Cui dicam scribens Elbertus Leoninus lib. VI. Emendat. cap. 15. & 16. utramque notam vitio carere, & distinctis circumstantiis justam esse arbitratur. Nec temporis nec instituti nostri ratio nunc permittit, utriusque momenta fusius examinare, uberius aliquando cum otium erit ea evolvemus. Interim pro certo haberi velim, Paullum stricti juris religiosum, Ulpianum æquitatis amantem, sed æquissimum Papinianum fuisse. Unico exemplo id liquidum fiet. In quæstione, an patre deportato mox restituto, patria quoque potestas restituta, & filii testamentum interea conditum, ceu capitis diminutione, irritum fieri intelligatur: Papinianus non modo durum, sed etiam absurdum existimavit, ei cui patria, cui civitas, cui dignitas, cui bona omnia reddita sint, non restitui patriam in liberos suos potestatem; ut quæ civilis dignitatis pars potissima, &

filio

filio ob jura ſuitatis utiliſſima videatur. Ulpianus vero & Paullus beneficium reſtitutionis ſtrictiſſime interpretandum rati, teſtamentum, utpote à patrefamilias factum, valere cenſuerunt. Sed Conſtantino placuit: *remotis Ulpiani atque Paulli notis, Papiniani valere ſententiam*, quaſi benigniorem & favorabiliorem in *l. ult. C. de Sententiam paſſis*. Id cum hac in ſpecie ita ſtatutum eſſet, Theodoſius & Valentinianus deinde Ulpiani & Paulli notas omnes, in Papiniani corpus factas, infirmari præceperunt, tanquam calumnioſas & longius à vero diſcedentes. dict. *l. un. C. Th. de Reſp. prud.* Major utique eorum apud poſteros foret fama, ſi, quod dicitur in *l. ult. C. de Appellationibus*, non ad modum rationis ſuæ, ſed ad veritatis indaginem notas proferre ſtuduiſſent.

§. X. Verumenimvero quia in uſum deducta illa Theodoſii conſtitutione eveniebat, ut communium opinionum abuſus, hodierno non diſſimilis invaleret, ac ſolidæ doctrinæ vicem ſubiret cavillatio verborum & turpis labor conquirendarum ſententiarum; ideo Juſtinianus non tantum prærogativam illam Papiniano ademit, exæquata Juriſconſultorum auctoritate; ſed notas etiam Ulpiani & Paulli valori ſuo reſtituit, ſicubi meliore ratione niterentur, vel uti-
litate

litate aliqua censerentur; proinde eas seligi Papinianeisque Responsis & Quæstionibus subjici jussit, in *l.* 1. *C. de Veteri jure enucleando* §. 6. cujus hæc sunt verba: *Sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius est judicatote: cum possit unius, & forsitan deterioris sententia & multas & majores in aliqua parte superare. Et ideo ea, quæ antea in notis Æmilii Papiniani ex Ulpiano & Paullo, nec non Marciano adscripta sunt, quæ antea nullam vim obtinebant, propter honorem splendidissimi Papiniani, non statim respuere: sed si quid ex his ad repletionem summi ingenii Papiniani laborum, vel interpretationem necessarium esse perspexeritis, & hoc ponere legis vicem obtinens non moremini: ut omnes, qui relati fuerint in hunc Codicem, prudentissimi viri, habeant auctoritatem, tanquam si eorum studia ex Principalibus Constitutionibus profecta, & nostro divino fuerant ore profusa. Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnis eis impertietur auctoritas.* Non equidem putandum est, quasi Justinianus, dum ceterorum sententias Papiniani sententiis exæquavit, partes huic negaverit priores: nam & festum ejus renovavit, & tertii anni auditores nomen ab eo ferre jussit, eumque semper honorifice appellat, *subtilissimum, acutissi-*

acutissimum, maximi, summi, excelsi ingenii virum, & MERITO ANTE ALIOS EXCELLENTEM in *l.* 30. *C. de Fideicommissis*. Verum prudentia legislatoria efflagitabat, ut metæ illæ judicibus positæ cessarent, & nova hæc compilatio ex Principali auctoritate susciperetur. Quid? quod tanti fecit Papiniani judicium, ut eodem anno, post latam hanc constitutionem, plus ei tribuerit, quam Theodosianæ legis præscriptum. Siquidem in quæstione alternativarum, utrum stipulatori, an promissori repetenti detur electio, quum utrumque, quorum alterum debebat, solvisset promissor, Papiniani & Juliani opinionem confirmat in *l. penult. C. de Condictione indebit.* aduersus tres, Ulpianum, Marcellum & Celsum, quibus calculus erat adjiciendus secundum legem Theodosii, nisi hæc jam aliquot menses fuisset sublata. Ad hanc vero Justiniani mutationem cum animum non attenderunt nonnulli, etiam magni nominis, interpretes, in errores prolapsi sunt pudendos. Dissentiunt inter se manifesto Ulpianus *l.* 1. §. 17. *D. de Separationibus* & Papinianus *l.* 3. §. *ult. Eodem*, quem palam notat Paullus *l.* 5. *Eodem*; ut nulla ratio sit componendæ disjunctionis: nec tamen propterea antinomiam hic agnoscit Strauchius

Dissert.

Differt. XV. ad Pandectas §. 18. bella ratione; scilicet! quia Justinianus consulto hoc dissidium reliquerit, ut auctoritate duorum Papinianus vinceretur. Eodem in cœno hæret Valent. Forsterus, ille qui Historiam juris scribere affectavit, lib. IV. de Successf. ab int. c. 16. ubi notam Ulpiani in *l.* 17. §. 4. *D. ad SCtum Trebell.* ideo non valere contendit, quia Constitutione Theodosii omnis ei auctoritas ademta. Gerræ Siculis vaniores! quas tamen sequitur Wissenbachius p. 2. ad Π. disp. 9. n. 4. & disp. 22. n. 10. alii etiam fortassis, quos nunc quidem conquirere non vacat. Potius examinabo, an verum sit, quod Antonius Faber in Rationalibus ad *l.* 58. *D. de Contrah. emt.* afferit, Tribonianum non ausum esse, ulli è Papiniano excerpto loco manus injicere, quam illi soli. Hoc vero ipsi non largientur Critici, qui passim ejusmodi Emblemata observarunt: Cujacius in *l.* 51. *D. de Petitione hered. l.* 1. *D. de Usuris*, *l.* 15. *D. de Ritu nupt. l.* 5. *D. de Jure codicill. l.* 121. §. 1. *de Verborum obligat.* Hotmanus & Leoninus in *l.* 4. §. 1. *de Nautico fœn.* Quin ipse Faber *Jurispr. Pap. tit.* 9. *pr.* 1. magna impudentia totam fere ejus *l.* 63. *D. de Ritu nupt.* Triboniano acceptam fert: & rursus integrum versiculum legis 20. *pr.*

de

de Tutelæ & rat. diſtr. Triboniano, quam Papiniano digniorem judicat, *tit.* 12. *princ.* 8. *illat.* 17. Dubito an recte! Nec tamen quicquam cauſſæ eſt, cur Tribonianum & ſocios Papiniani ſcriptis pepercisse credamus: omnia quippe ad regulam recentiorem inflecti juſſerat Imperator. Illa autem calumnia mera eſt, qua vulgus Juſtinianum onerat, quaſi veterum, etiam Papiniani, libros flammis mandaſſet, ne ſua, quæ nunc latent, facinora deprehenderentur. Nam quemadmodum vel *l. un.* §. 9. *in fin. C. de Caducis toll.* hoc commentum refellit; ſic Papiniani ſcripta, ſaltem Quæſtionum libros, ſæculo quarto & decimo integros ſuperfuiſſe novimus ex Harmenopulo, lib. II. Promptuarii tit. 4. qui non circa A. D. 1150. ut Freherus, Suareſius, Broëus & Gothofredus cenſuere; ſed ſub imperio Annæ Palæologinæ filiique ejus, circa A. C. 1345. Judicis Theſſalonicenſis munere functus eſt; quod præclare obſervat Lambecius in comment. Biblioth. Vindobon. lib. VI. p. 1. p. 39.

CAPUT

CAPUT XIV.

HONORES PAPINIANI.

§. I. *Corpus Advocatorum hoc ævo seminarium dignitatum. Spartianus illustratus; Salmasii & Gutherii sententia rejecta.* II. *Papinianus Advocatus fisci, sub Marco: ejus officium. Fisco non semper favit. Alexander ab Alexandro & Lectius notati.* III. *A Severo Magister libellorum factus, rescripta concepit æquissima. L.* 12. *D. de Distractione pignorum explicatur. Victor & Salmasius reprehensi.* IV. *Oppresso Plautiano ad Præfecturam prætorii evectus, quæ honorum culmen. Ruffardi & Broidæi oscitantia explosa.* V. *Jurisconsultos ideo prætorio præpositos, ut vice sacra judicarent, contra Scaligerum. Auditorium Papiniani, idem quod Severi vocatur, ex l.* 40. *D. de Rebus creditis, Dione & aliis descriptum.* VI. *Ulpianus, Paullus, Tryphoninus, Messius & Marcianus ejus Assessores. Horum dignitas gradus ad Præfecturam. Ipse Papinianus assessor tempore Commodi. L.* 3. §. 3. *D. de Usuris ab Haloandri emendatione vindicata.* VII. *Consulatum non gessit, quod ex mendosis Capitolini libris videbatur: sed orna-*

ornamenta consularia & honores obtinuit, quasi bis Consul. Fuit Tutor imperii; ut Sejanus, Ulpianus, Misitheus.

§. I.

VIdimus hactenus Papinianum & jura docentem, & respondentem, & domi in museo libris scribendis incumbentem; nunc tempus est, eum ex vitæ sedentariæ umbraculis in publicam hominum lucem producamus, & qualem in theatro Reipublicæ se gesserit consideremus. Non alio quippe fini tot annos pacis bellique artes tractaverat, atque in scholis suis de regno & legibus disseruerat, quam ut aliquando maturus bonæque frugis in publicum vindicaretur, & boni velut imperii instrumentum, civibus prodesset. Nec diu latere poterat vir tot animi bonis cumulatissimus, si vera est Claudiani in Consulatum Manlii sententia:

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuque petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis:
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.
Attamen invitam blande vestigat, & ultro
Ambit honos.

Ab

Ab omnibus enim gubernandi artibus instructus noster, demum honores capessivit, non per saltum, nec raptos aut emtos, sed ut ratio suadet, & mos invaluerat, gradatim à minoribus ad majores ascendit. Erat tum temporis Advocatorum corpus seminarium dignitatum, nec quisquam hominum novorum facile summis fruebatur, nisi prius doctrinæ, fidei & gloriosæ vocis munimine clarus, laborantium spem, vitam & posteros defendisset. Eleganter Sidonius lib. 1. Ep. 11. *Advocatorum cum finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates.* Cui accedat Ennodius Episcopus lib. V. Epist. 2. *Nota proximitate sociantur causidicus & senator. His qui bene toga usi fuerint, reseratis susceptura finibus, palmata blanditur.* Erat autem causidicorum in quoquo foro, certus numerus, certa matricula, certum consortium; atque inter alios Advocati fori Præfectorum prætorio dignatione & privilegiis eminebant: nam præter clientum honoraria, publicum etiam salarium percipiebant, sique Fisci patronus decederet, qui gradu proximior, in ejus locum à Principe surrogabatur. *L.* 13. *C. de Advocatis div. jud.* Spartianus Antonini nomen Getæ datum refert in hujus vita cap. 11. *quod Severum ille ad fisci advocationem delegerat ex*

formulario forensi, quum ad tantos processus ei patuisset dati ab Antonino primi gradus vel honoris auspicium. Mira locutio deligere aliquem *ex formulario forensi*, pro ex numero formulariorum. Ideo Salmasius cum Codice Palatino legit *formularia forensi*, & actum officiumque formularii interpretatur. Casaubonus *formularium* cantorem formularum intelligit, qui veri Jurisconsulti numeros non absolvit. Jacobus autem Gutherius lib. III. de Officiis domus Aug. cap. 1. veteres magis editiones probat, quæ *ex formula* habent, id est matricula, secundum quam successio ei deferebatur, qui diutius causas perorarat. Si mihi post tantos tamque nobiles Senatores suffragii aliquod jus relictum, in Casauboni sententiam ibo, novis rationibus eam firmaturus. Non enim Ordini aut albo, sed gratiæ Marci *deligentis* munus hoc acceptum tulit Severus: & maturius ad honores est provectus, quam ut legitima advocationis spatia explevisset: nam post annum decimum octavum studiorum causa Romam venit, & nondum triginta natus, absoluto jam fisci patrocinio, latum clavum à Marco accepit, favente sibi Septimio Severo, affine suo, bis consulari. Deinde homini Afro, & Punica eloquentia promtiori, *parum commodavit forum*, ait Victor:

Victor: quapropter, ut rebus arctis solet, varia & meliora tentans ex *formulario*, id est legulejo, & vulgarium actionum praecone, Advocatus fisci factus est. Quintilianus lib. 12. Instit. cap. 3. *Multos cognovimus, qui taedio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerint ad haec diverticula desidiae: quorum alii se ad album & rubricas transtulerunt & FORMULARII, vel uti Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt.* Quod ad locutionem, similis est ejusdem Spartiani in Adriano c. VIII. *ut Tatianum ex praefecto praetorii faceret Senatorem.*

§. II. At quorsum, inquis, tam longa praeparatio? Huc tendunt omnia, ut patescat, Papinianum Severi commilitonem & studiorum aemulum, eundem fere tramitem tenuisse: nam & negotiis perorandis operam dedit, & cautiones concepit, & formulas agendi praescripsit, antequam ad patrocinium fisci, *auspicium honorum*, ut Victor appellat, eveheretur. Hactenus autem illi dissimilis, quod insigniore juris peritia instructus & fandi doctior, munus illud ante annos non emendicavit, sed meruit; atque ita demum quum in causis expediendis feliciter progressus, suaque doctrina, integritate & facundia propitiam

apud omnes bonos famam nactus esset, non Scævolæ (quod Alexander ab Alexandro lib. 1. Genial. dier. cap. 19. tradidit) sed ipsi Severo in advocatione fisci successit. Spartianus in Caracallo cap. VIII. *Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Severo traditur, & huic præcipue utrumque filium à Severo commendatum, eumque cum Severo professum sub Scævola, & Severo in advocatione fisci successisse.* Advocatum Fisci Adrianus primum instituit, auctore Spartiano; de cujus officio ejusdem rescriptum extat in *l.* 3. §. 9. *D. de Jure Fisci.* Lingua fisci ipsi commissa erat, unde γλῶττα τοῦ ταμείου Philostrato, & συνήγορος τοῦ ταμείου Basilio vocatur. Eo agente bona vacantia, caduca, ereptitia, commissa, tacita fideicommissa, vaga mancipia, thesauri inventi vindicabantur: unde maxima juris peritia ipsi necessaria, quia caducorum causæ, & fiscalium jurium controversiæ, non nisi ex intima Jurisprudentia decidi potuerunt. Perraro his temporibus evenisse, ut qui rem fisci curabant, viri essent probi, observat Herodianus lib. VII. cap. 4. σπανίως χρηστοὶ ἐμπεπτώκεσαν. Proindeque Antoninus Pius querelas adversus eos libenter audivit, auctore Capitolino; & Alexander Severus de jure Fisci leges moderatas sanxit, tradente Lampri-

Lampridio; & Julianus fisci jurgia cum privatis æquavit, teste Ammiano lib. XXV. cap. 4. De Trajano Plinius Panegyr. cap. 36. *Quæ præcipua tua gloria est, sæpius vincitur fiscus; cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe.* Atque hoc est, cur Optimus Princeps Marcus Antoninus, (non Severus, ut cum Lectio multi credidere) Papinianum, hominem & litterarum peritia & morum innocentia conspicuum, sibi Advocatum fisci constituit: fidem enim cum veritate eum tuiturum sperabat. Videtur mihi his verbis eum instruxisse, quæ extant apud Cassiodorum I. Var. 22. *Sume igitur Fisci nostri tuenda negotia: Ita per medium justitiæ tramitem incede, ut nec calumnia innocentes graves, nec justis petitionibus recentatores exornes. Illa enim vera lucra judicamus, quæ integritate suffragante percipimus. Non ergo quoties superes, sed quemadmodum vincas, inquiramus.* Nec fefellit eum opinio. Nam ut ipse *Fisco nunquam favit*, auctore Capitolino, pariter & noster, non putavit delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facile responderit; quemadmodum ex *l.* 8. §. 14. *D. de Inofficioso test. l.* 1. §. *ult. D. de Requirendis reis, l.* 3. *D. de Bonis damnat. l.* 19. 37. 38. 39. *D. de Jure fisci*, sed maxime ex

l. 18. §. 10. *D. Eodem* apparet, ubi Marcianus ex Marcello ejus diſtinctionem, ut nimis humanam & fiſco contrariam exploſit.

§. III. Poſt obitum Marci, ſub incommodo valde Commodo, Pertinace & Juliano, Quæſturam, Tribunatum & Ædilitatem egiſſe videtur diligentiſſime: ut tamen diebus vacuis ſimul juri reſpondendo, vel libris componendis operam daret: quos inter probabile ſit, librum ſingularem de Officio Ædilium municipalium ab eo Ædile Romano conſcriptum eſſe. Simulatque Severus rerum potitus eſt, Papinianum, ſibi ex condiſcipulatu amiciſſimum, Magiſtrum ſcrinii libellorum cooptavit, ut fidum haberet onerum negotiorumque principalium adjutorem. Auctor Tryphoninus in l. 12. D. Diſtractione pignorum: *Reſcriptum eſt ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem à debitore pignus emere poſſe.* Nomine Imperatoris Severus omnino intelligi debet, non Caracalla, quem *Imperator noſter* vocat, in *l.* 44. *D. de Excuſat. l.* 12. §. 17. *de Captivis.* Et fœdus quam maxime error hinc cognoſcitur eorum, qui apud Victorem tradunt: *Papinianum illo tempore*, quo Geta occiſus, *Baſſiani ſcrinia curaviſſe.* Tum vero omnium conſenſu Præfectus prætorio fuit, ut mox dicemus. Libelli

belli preces & desideria erant supplicantium, quæ Principibus offerri solebant: hos enim, licet præsentes, non viva voce, sed scriptis adiri moris fuit, inprimis à Tiberii temporibus, ut ex Tacito constat, & docuit Brissonius lib. III. Antiq. cap. 7. Responsa Principum ad libellos sunt ipsa Rescripta, quibus maxima pars Constitutionum Imperialium constat: Affatus illi sacri, *l. 5. C. de Diversis rescr.* augusti *l. 14. C. de Religiosis & sumt.* divini *l. 23. §. 1. C. de Nuptiis*, sacra oracula *l. 5. C. Si contra jus vel util.* quæ qui componebant *libellos agere* dicebantur. Vocati etiam ἀντιγραφεῖς, *Magistri libellorum*, vel *Magistri scrinii cognitionum sacrarum.* Quatuor scrinia Palatina fuisse, hic notandum est: nempe Scrinium Libellorum, scrinium Memoriæ, scrinium Epistolarum, & scrinium Dispositionum. Doctissimus Salmasius ad vitam Alexandri Severi cap. 31. Papinianum omnium horum scriniorum Magistrum fuisse certat, quia Victor eum *scrinia curasse* scribit: At vel sola Tryphonini lex hoc refellit; nec novum est, ut unius scrinii Magister, Magister scriniorum appelletur. Jacobus Gothofredus ad *tit. C. Th. de Magistris scriniorum* id evicit exemplo Ulpiani, quem Rufus Festus *Magistrum scriniorum*, Lampri-

 dius

dius *Magiſtrum ſcrinii* fuiſſe dixit. Sidonius quoque carm. IV. de Petro, Magiſtro Epiſtolarum:

Quid loquar hic illum, qui ſcrinia ſacra gubernat.

Officium magiſtri libellorum fuit conſultationes Judicum vel Præſidum, precesque privatorum tractare, atque brevibus verbis, interdum ex Conſilii ſententia, ad eas reſpondere. Id quod cum artis & peritiæ eſſet ſingularis, non niſi Jurisconſultis hoc munus mandari ſolebat doctis & diſertis, quos item Princeps in ſuo comitatu habebat. Sic Arcadius Chariſius Jurisconſultus *Magiſter libellorum* vocatur in inſcriptione *l.* 1. *D. de Officio Præf. Præt.* & IVBENTIVS. CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSIT reſcriptum Antonini Pii, his tribus conceptum verbis: FERETRVM. FIERI. PLACET, in marmore Romano apud Gruterum pag. 607. 1. ubi & libellus. In alio pag. 28. 2. Sextilius Ageſilaus, cauſarum non ignobilis patronus, MAGISTER LIBELLORVM ET COGNITION. SACRARVM laudatur. Quod igitur de Alexandro Severo narrat Lampridius cap. XV. *Negotia & cauſas prius à Scriniorum Principibus & doctiſſimis Jurisperitis & ſibi fidelibus, quorum pri-*

mus

mus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad se præcepit: idem de L. Septimio Severo nobis dicere licet, qui omnes libellos suplices, relationes & suggestiones à Papiniano tractari & cognosci jussit, priusquam encausto sacro iis subscriberet, vel annulo responsum signaret. Inde quot ejus Rescripta, in Pandectis & Codice occurrunt (habemus autem plurima) totidem oracula esse putes, ex Themidis sacrario profecta. Omnia æquitatis, moderationis atque clementiæ sunt plenissima, quia de Papiniani consilio & calamo profluxerunt. Nec aliunde est, quod Severus *Legum conditor longe æquabilium* ab Aurelio Victore appellatur. Cumque Opilius Macrinus statuisset rescripta, veterum Principum tollere, nefas esse dicens, leges videri *Commodi & Caracalli*, Severum inter hos medium notanter omittit: quod, fatente & favente ipsa invidia, in ejus Rescriptis nihil odio aut gratiæ datum, nec suspicio quidem, civilem sapientiam, rem illam sanctissimam, pretio nummario æstimatam aut dehonestatam videri.

§. IV. Quanti hoc curandorum libellorum officium fuerit momenti, ad summa quæque in aula consequenda, Narcissi & Callisti exemplo discimus, quos Claudii Impe-

Imperatoris à libellis & Epistolis scribas urbes Regesque coluere. Verum hi libidine & nequitia omnium ad se oculos converterunt, Papinianus sola virtute flagrantissimam Severi gratiam est adeptus, ut Præfectus prætorio crearetur. Passim hoc elogio ornatum legas, sed instar omnium sint Paullus in l. 40. D. de Rebus creditis: *Lecta est in auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti prætorio, Jurisconsulti, cautio hujusmodi.* Et Justinianus Præfatione II. de Concept. Dig. §. 4. *Maneat viri sublimissimi præfectorii Papiniani in æternum memoria.* Juvenalis & Plautianus hactenus singuli eo munere functi erant, teste Spartiano in Geta cap. 2. & 4. sed in hujus oppressi locum duos rursus surrogatos Herodianus refert lib. III. cap. 13. quos inter omnino Papinianus: nam Bulla quidam, famosus latro, circa idem fere tempus captus, *quum interrogaretur à Papiniano Præfecto prætorio, cur latrocinium fecisset? respondit: Et tu cur præfectus es.* Verba sunt Dionis à Xiphilino excerpta libro 76. De Prætorio, eique præfectis præstat tacere, quam vulgata adferre: omnia enim Petrus Faber lib. I. Semestr. cap. 1. 2. & 3. Pancirolus & Gothofredus in Notitia dignitatum, Gutherius de Officiis domus Aug. lib. II. c. 1. & sequent.

sequent. Huberus & Perizonius *de Prætorio* jam occuparunt. Liceat autem in gratiam Papiniani, hoc culmen honorum paucis delineare; ut simul ostendamus, quam putidus Russardi ad *l.* 12. *D. de Distractione pignorum* & Broidæi *ad Polletum lib. V. cap.* 6. error sit, putantium, Papiniani ad hunc apicem evecti, munus fuisse, libellos supplices, qui Principi aut darentur aut mitterentur, recitare: hoc autem pacto officia toto cœlo diversa confundi, ex his apparebit. Prætorium proprie ducis exercitus tabernaculum est: hoc loco denotat cohortes prætorias, sive milites prætorianos, Principum satellites & custodes, in unis castris apud Urbem tendentes. His ex Mæcenatis consilio duo præstantissimi viri, ut se observarent, præpositi, quos Tacitus lib. IV. Annal. cap. 1. signanter *Præfectos Prætoriis cohortibus*, Dio lib. 55. ἐπάρχους τῶν δορυφόρων, *Præfectos satellitum* vocavit. Quem collegam habuerit Papinianus, silent scriptores, nec unum tamen Præfectum, obtruncato Plautiano, fuisse ex Herodiani loco jam allato constat; & metus conspirationis ita suadebat. Hujus item successor Opilius Macrinus collegam nactus Ecdecianum Adventum, quorum mentio fit in *l.* 1. *C. de Sententiam passis*. Atque ita plerique Principes

cipes obſervarunt. Vide Plinium lib. X. ep. 65. Capitolinum in Antonino Pio cap. 8. Spartianum in Juliano cap. 3. Lampridium in Severo cap. 21. Quanta Præfectorum fuerit potentia & auctoritas, Sejani apud Tiberium, Laconis apud Galbam, Perennis apud Commodum, Plautiani apud Severum, & Ulpiani apud Alexandrum exempla docent. Initio modica fuit & militaris; ſed quia Principum ſecuritas & ſalus unice in horum voluntate ſita, paulatim ita crevit, ut Macrinus apud Herodianum lib. V. cap. 1. poteſtatem vocet, *quæ non multum à Principatu diſtat, quippe cum ipſe Imperator Præfecto prætorio ſe committat.* Aurelius Arcadius *l. un. D. de Officio Præf. Præt.* ait, datam eis pleniorem poteſtatem, ad diſciplinæ publicæ emendationem. Eunapius *Principes ſine purpura*, Spartianus *Imperii ſecundos*, Victor *alteros ab Auguſto*, Scaliger *Proreges* appellavit. In Principum conſtitutionibus paſſim eorum dignitas Summum dignitatis faſtigium, apex dignitatum, culmen honorum, rerum ſumma, ampliſſima ſedes; ipſique Eminentiſſimi, Ampliſſimi, Sublimiſſimi, Parentes Auguſtorum cariſſimi vocantur. Inſignia eorum carpentum, & gladius, meri imperii index. Palatium ingreſſi adorabantur conſuetudine

ſuetudine Principali, princeps eis aſſurgebat, & oſculum applicabat, exigebant tributa, proponebant Edicta & formas generales, mandata dabant Proconſulibus, Vicariis & Rectoribus provinciarum, Judices inſtituebant, puniebant, & removebant, in judiciis vice ſacra ubique præſidebant, de appellationibus cognoſcebant, ita ut ab ab eorum ſententiis appellandi facultas non eſſet *l.* 17. *D. de Minoribus*, *l.* 16. *C. Th. de Appellationibus*. Credidit enim Princeps, (Conſtantinus) eos, qui ob ſingularem induſtriam explorata eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe, pro ſapientia & luce dignitatis ſuæ, quam ipſe foret judicaturus, *l. un. D. de Officio Præf. Præt.*

§. V. Ne quis vero miretur, Papiniano, homini artibus magis quam bello exercitato, præfecturam tot militum & legionum commiſſam, obſervandum duco, inter alia remedia, quibus enormis illa poteſtas cohiberetur, hoc utiliſſimum viſum Severo, ut togata potius virtute, quam militari illuſtrem præficeret prætorianis. Neque enim hunc tanta audacia fore aut libidine credebat, ut relictis Muſis regnum affectaret; magis etiam jam ab adoleſcentia virtus Papiniani, prudentia & morum ſanctitas cognita

cognita erat Septimio, quam ut se & quicquid ad dominationem pertinebat, ipsi tuto credi posse dubitaret. Idem institutum tenuit Alexander Severus, dum Ulpianum prætorianis militibus præfecit; qui ab his objectu purpuræ sæpe defendendus, tandem interfectus est, quod iniquitati morem gerere recusabat. Profecto hoc sensit uterque Severus, in cujus animo plurimum virtutis inesset, ei plurimum tribuendum. Deinde summa judiciorum potestas erat apud Præfectos; ergo alterum saltem litteris cultum esse oportuit: quia castrensis jurisdictio obtusior ac plura manu agens, solennia fori non exercet. *Magna negotia magnis adjutoribus egent; interestque Reipublicæ, quod usu necessarium, & dignitate eminere*, prudenter ait Vellejus lib. II. cap. 127. Humani quid passus est Scaliger quando lib. II. Epist. 183. scribit, Præfectos prætorio non judicasse, idque ex celebratissima *l. Lecta* elici posse negat. S[illegible] in memoriam revocasset Vir Maximus illud Symmachi in Epistola ad Ausonium P. P. *Potiris merito summa judicii*; & Evagrii lib. III. c. 42. *Summam judiciorum tenentis, quem olim præf. prætorio vocabant*. Caussæ enim gravissimæ, civiles & criminales, vel per appellationem partium, vel per relationem Judicum, vel per

per delegationem Principis ad horum auditorium deferebantur. *l.* 38. *D. de Minoribus l.* 1. §. 4. *D. de Legatis lib.* 3. *l.* 1. *C. de Precibus Imp. off. l.* 4. *C. de Jurisdictione omn. jud.* Sidonius lib. VIII. Epist. 17. *Provinciali actione decursa, quæ ad Sacri Auditorii Cognitorem necessaria provocatione pervenit.* Unde *judices amplissimi* dicti in *l. ult. C. Th. de Censibus.* Et ipsa *l. lecta* nihil hanc in rem clarius, licet perfunctorie legatur. Paullus *Lecta est*, inquit, *in Auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti prætorio, Jurisconsulti, cautio hujusmodi*; mox refert, quæ *sententia*, post longam Assessorum disputationem, *obtinuerit*: ut controversiam sententia decisam esse intelligeremus. *Auditorium* Veteres pro schola publica, & loco recitationis vel disputationis usurpant; quo sensu Bartolus *Auditorium Papiniani*, hic locum lectionum explicuit; jam olim ab Alciato II. Parerg. 26. & Zasio eapropter reprehensus *n.* 12. *ad h. l.* In Jure nostro Auditorium denotat locum juri dicundo comparatum, ab eo, quod caussas ibi ultro citroque audiri necesse est. ἀκροατήριον Lucæ in Actis, οἰκίσκος δικαστήριος Herodiano vocatur. Omnibus Magistratibus id tributum videas passim; sed per excellentiam adscribitur illi judicio, in quo Præfectus Prætorio, velut

velut summus Imperii Romani Judex, causas dirimebat. Idem fuit auditorium Principis *l. 22. D. ad Senatusc. Treb.* & glissente adulatione *Auditorium sacrum amplitudinis Præfectorianæ l. 67. C. Th. de Appellationibus:* quia Præfectus *vice sacra* in eo judicabat, *l. 16. C. Th. eodem.* Sic quod Ulpiano, in *l. 18. §. 1. & 2. D. de Minoribus*, est auditorium Severi & Antonini, id Paullus *hac l. 40.* Auditorium Papiniani appellat; quem in eodem Imperiales sententias *pronunciasse* refert, in *l. 97. D. de Acquirenda vel omitt. her.* & *novam sententiam* induxisse, eodem lib. III. in *l. 50. D. de Jure Fisci*, juncta inscriptione *l. ult. D. de Jure patronatus.* Locum & pulchritudinem hujus Auditorii indicat Dio Cassius lib. 76. ubi Severum in Britanniam proficiscentem tradit scivisse, se inde non reversurum: *quod maxime cognoverat ex stellis, sub quibus natus erat. Illas enim in laquearibus conclavium palatii, in quibus jus reddebat, ita pingi curaverat, ut ab omnibus viderentur.* Mox ipsum Severum juri dicundo operam dedisse scribit, at pacis tantum, non belli temporibus: *Severus cum pax esset, hujusmodi quadam ratione vitæ agendæ utebatur. Omnino quid noctu sub diluculum agebat, postea deambulabat, dicens audiensve quæ ad imperii*

utilitatem pertinerent. Dein jus reddebat, extra quam si magnum aliquod esset festum, idque peragebat optime, quod & litigantibus aquam, quantum satis erat suppeditaret: & nobis una judicantibus magnam libertatem in sententiis dicendis largiretur. Quæ postrema notari velim, ut unde mirabilis illa Paulli, in contradicendo Papiniani & ipsius Principis suffragio, fluxerit παῤῥησία intelligamus.

§. VI. Age vero ipsum Auditorium intremus propius, & quos Papinianus pro tribunali sedens in augusto hoc Consistorio habuerit Consiliarios, videamus. Proditum erat more Romano, ne Magistratus aliter cognoscerent, quam si in consilium adhiberent adsessores; quia belli duces plerumque ad summos honores evehebantur. *Populus Romanus virtute & innocentia contentus erat: quotus enim quisque disertus, quotus quisque juris peritus?* inquit Cicero pro Plancio. His igitur imperitis subadjuvæ ejusmodi necessarii, ut in judicando trepidantes aut festinantes nimium instruerent, causas cognoscerent, libellis responderent, sententias dictarent, etiam Magistratus, qui per se saperent, suffragio suo confirmarent. Præsides sane in Provinciis Conventum acturi, viginti Recuperatores, cives Romanos, in consilium adhibebant. Prætor

Romanus quinque Senatores & quinque Equites Romanos sibi adsciscebat. Et sic quoque *Præfectus Prætorio assessores consiliis suis tribunalibusque sociabat*, ut loquitur Sidonius lib. V. Epist. 10. Eligebantur autem legum & morum periti, qui præ modestia juris studiosos se vocabant *l.* 4. *D. de Extraord. cogn.* Unde *Assessoriorum libri* à Jurecconsultis de iis rebus sunt scripti, quas agi viderant, cum essent assessores. *L.* 12. *D. de Pactis l.* 5. §. 8. *D. de Injuriis*. Ammianus usum eorum, ut turpissimum juris inscitiæ indicem, perstringit lib. XXIII. & Persas hac parte Romanis præfert: *Ad judicandum*, inquit, *usu rerum spectati destinantur & integri, parum alienis consiliis indigentes: unde nostram* (Romanam) *consuetudinem rident, quæ interdum facundos jurisque publici peritissimos, post indoctorum collocat terga.* Aliter longe sensurus, si Severi tempore scripsisset: nam Papinianus ipse doctissimus, doctos habuit Adsessores, Ulpianum, Paullum, Tryphoninum, Messium, Marcianum & alios, quorum nomina nobis ignota. De Ulpiano & Paullo satis constat cum aliunde, tum ex *l. lecta*, & confirmat Lampridius in vita Severi cap. XXVI. *Paullum & Ulpianum in magno honore habuit, quos præfectos ab Heliogabalo alii dicunt factos, alii ab ipso.*

ipso. Nam & consiliarius Alexandri & magister scrinii Ulpianus fuisse perhibetur: qui tamen ambo Assessores Papiniani *fuisse dicuntur*. Claudius Tryphoninus ipse meminit auditorii, in quo suam de controversia quadam opinionem declaraverit, in *l.* 78. §. 4. *de Jure dotium:* quod de auditorio Papiniani intelligendum puto; cum hoc enim in Severi vel Antonini consilio fuisse legitur in *l. ult. D. de Jure fisci*. Messius eadem hac *l. ult.* inter Principis & Papiniani assessores laudatur, quem item inter hujus discipulos ex Lampridio vidimus supra pag. 226. Marcianus denique Marcelli sententiam in auditorio publico Papiniani (forsan & Ulpiani) se secutum profitetur in fine *l.* 1. *D. Ne de statu defunct.* Ea autem Assessorum dignitas fuit, ut ipsi aliquando, nullo vel uno tantum honore intermedio, ad Præfecturam Prætorianam vocarentur. Sic *Cornelius Laco, ex adsessore præfectus prætorii* factus, auctore Suetonio in Galba cap. 14. De Ulpiano & Paullo Spartianus in Pescennio Nigro scribit cap. VII. *Præter militares administrationes, intimavit etiam, ut assessores, in quibus provinciis assedissent, in his administrarent: quod postea Severus & deinceps multi tenuerunt, ut probant Pauli & Ulpiani præfecturæ, qui Papiniano in consilio*

 fuerunt:

fuerunt: ac postea quum unus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim præfecti facti sunt. Nec alia via Papinianus ad hoc fastigium ascendit. Ipse Præfectis prætorio se assedisse testatur in *l.* 3. §. 3. *D. de Usuris*, his verbis: *Præfectis prætorio suasi*, scilicet ut judicarent, fructus qui à Pollidio bona fide ex bonis defunctæ percepti essent, restitui debere. Si quis cum Haloandro *Præfectus prætorio* legendum contendat, is simul pro *suasi*, decrevi, reponat oportet: Magistratus enim imperat, non suadet. Puto autem nostrum, postquam Fisci patrocinium gesserat, Præfectis sub Commodo in consilio fuisse; huic etenim super negotio quodam cognoscenti in consilio se adfuisse scribit, *l.* 26. *D. de Probationibus*: & plures ille sibi præfectos, quam communiter fieri solebat, delegit auctore Lampridio cap. VI. *In Ebutiani locum Cleander, cum aliis duobus, quos ipse delegerat, præfectus est factus. Tuncque primum tres Præfecti prætorio fuere.* Ceterum, ut capite præcedente singularia Papiniani, Paulli & Ulpiani quædam annotavimus; sic hoc loco observare licet, nobilem hanc sociorum trigam hactenus pari fortuna usam, quod eximii Jurisconsulti, prudentissimi assessores, eruditi libellorum magistri, tandemque Præfecti

fecti prætorio amplissimi evaserunt.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus!

§. VII. In tantum igitur Papiniani auctoritas excrevit, ut omnes majores magistratus *potestate* vinceret: unus unus restabat Consulatus apex, qui ut portus honorum semper erat, & ab ipsis Imperatoribus gerebatur, sic omnes magistratus ipsamque Prætorii Præfecturam, *dignitate* superabat. *l.* 1. *D. de Senatoribus l.* 7. *C. de Legibus.* Verum ut Consulatus præponitur omnibus fastigiis dignitatum, ita Papinianus, si Consulatu cum Præfectura vere functus, omnibus Consularibus haud dubio erit præferendus, ex *l. un. C. Th. de Consulibus.* Favere nobis videtur Capitolinus in tribus Gordianis cap. XXIII. *Finita igitur sollicitudine in Africa, Gordiano jam iterum & Papiniano COSS. bellum Persicum natum est.* At Puteanus, Casaubonus & Gruterus jam dudum ex membranis accusarunt librarii peccatum, pro *Pompejano*, scribentis *Papiniano*, quibus omnino manus danda. Siquidem alter Gordiani consulatus incidit in annum Chr. 241. tum vero Papinianus circiter annos triginta erat interemtus. Funditus quoque hunc errorem mediante Græca inscriptione exstirpavit Celeberrimus Rei-

nesius Cl. XI. n. 71. cui novissime Petrus Relandus, Vir Cl. in Fastis, multas Latinas adjecit, in quibus est:

GORDIANO. AVG. II
ET. POMPEIANO. COSS

Quanquam autem verum Consulatum forte non affectavit, nec gessit Papinianus; omnibus tamen semel Consularibus fuit superior, quia honores Consulares, quasi iterum Consul, obtinuit beneficio Severi. Primus hoc observo ex his Dionis Cassii verbis lib. XLVI. *Primus enim omnium Severus Imperator postquam Plautiano Consulares honores tribuisset, eumque postea in Senatum induxisset, Consulemque declarasset, quasi iterum Consulatum gerentem pronunciavit. Idemque* in duobus aliis *post eum accidit*. In duobus scilicet Præfectis, qui Plautianum exceperunt, inter quos cum maxime fuit Papinianus. Vide pag. 316. Antea qui Senator erat, ex instituto Mæcenatis, Præfectus fieri non poterat; quare Tatianum Adrianus, & Antoninus Pius præfectos suos ornamentis Consularibus, trabea nempe, stola, scipione, calceis auratis & sella curuli donarunt. Severus hoc amplius, Plautiano & Papiniano Præfectis secundi Consulatus honorem addidit, id quod inter magnas felicitates, quæque ad imperium inflam-

mare

mare possent, recensetur. Quid multa? Tam prolixe Papinianum dilexit, ut moriens *huic præcipue utrumque filium commendarit*, auctore Spartiano in Caracalla cap. 8. hoc est *Tutorem imperii* fratrumque Imperatorum constituerit, ut diserte Zosimus lib. I. cap. 9. Επίτροπον αὐτοῖς Παπινιανὸν καταλέλοιπεν. Similem in modum Juvenalis de Sejano Tiberii præfecto, Sat. X. ℣. 90.

Visne salutari sicut Sejanus? habere
Tantundem? atque illis sellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? Tutor *haberi*
Principis, angusta Caprearum in rupe sedentis.

De Alexandro Severo Lampridius cap. 51. *Ulpianum pro tutore habuit*. Sic etiam Gordiani Præfecto prætorii Misitheo, sub quadriga equorum & triumphali curru hujusmodi titulus à Senatu decretus, qui extat apud Gruterum pag. 439. n. 3. & plenius apud Capitolinum in vita Gordiani tertii cap. 27.

MISITHEO
EMINENTI. VIRO
PARENTI. PRINCIPVM
PRAETORII. PRAEFECTO
ET. TOTIVS. ORBIS
TVTORI. REIP
S. P. Q. R
VICEM. REDDIDIT

CAPUT XV.

MORES PAPINIANI.

§. I. *Ejus religio in Deum, & pietas in parentes, liberos & præceptores laudata. L. 27. D. de Donationibus illustratur.* II. *Idem lenis, æquus, castus, diligens, animi magni & constantis.* III. *Amavit simplicitatem legibus amicam: litibus minuendis studuit, nec levi ratione.* IV. *Modestia ex formulis: difficilius est, videtur, deliberari potest, & aliis ostensa. Alios raro, sed verbis mitissimis reprehendit, etiam nomine tecto. In unicum Alfenum commotior, & quare.* V. *Sententiam mutare non erubuit. L. ult. C. de Furtis & l. 6. D. de Servis exp. explicatæ.* VI. *Ter ab inconstantiæ nota defensus. Variavit quia Stoicus. Variarunt & alii veteres, Jurisconsulti, Oratores, Medici, Zasius, Goveanus & Cujacius.* VII. *Severum & Antoninum Optimos Maximosque Principes nominavit, titulo Jovis Capitolini: nec tamen iccirco Spanhemius recte adulationis invidiam ei fecit, à qua fuit alienissimus.* VIII. *Quicquid Severus & Caracalla imperio profuerunt, id moribus Papiniani debetur, ceu boni imperii optimo instrumento.*

mento. Ulpianus cum eo comparatus. IX. *Christianis nec infensum fuisse Papinianum, nec amorem nominis Christiani in eo desiderandum, contra Baronium asseritur. L. 3. §. fin. D. de Decurionibus illustratur.*

§. I.

AB honoribus ad mores & virtutes Papiniani admirandas progredimur, in quarum æstimatione jam pridem judicia Prudentûm, cum judiciis Principum certarunt. Stultus est, qui equum emturus, non ipsum inspicit, sed stratum & fræna: stultissimus, qui hominem ex persona, quam summus ille Choragus in vita, ceu fabula, ei imposuit, æstimandum putat. Ponamus igitur honores, ponamus prærogativas, ponamus patrimonium, & alia fortunæ mendacia; animum intueamur, qualis quantusque fuerit, alieno an suo magnus. Virtutes intelligimus, quantas homo naturæ bonitate & institutione sibi comparare potest. Neutrum nostro defuit: produnt scripta, produnt mores. Ex illis cumulum sententiarum attulimus supra, pag. 141. quarum vel unica & capitalis illa, in *l. 15. D. de Conditionibus instit.* quantus vir fuerit ostendit. Obtestor

testor & oro vos, Lectores, an quicquam gravius, sanctius & Christianius, non dicam à Jurisconsulto Christiano, sed vel à Theologo expectari queat? Simulari ista possunt, fateor, & solent; sed sic, ut frigus & animi dissensio appareant, quorum in illa nihil. Quemadmodum pura manant è fonte puro, sic virum bene facientem, ut Sophocles ajebat, opus est verba consequi bona. Plane *Religio* ejus, omnium illa virtutum basis, cernitur exinde, quod æde sacra diruta, locum ædificii profanari vetat *l.* 73. *D. de Contrahenda emt.* quod summam esse rationem ait, quæ pro religione facit *l.* 43. *D. de Religiosis & sumtibus fun.* quod superstitionem, mentium humanarum ludibrium, vitari jubet *l.* 113. §. *fin. D. de Legatis lib.* 1. quod denique ut modestum laudat, qui jusjurandum, maximum litis expediendæ remedium, referre, quam jurare maluit, *l.* 25. §. 1. *D. de Conditionibus inst.* Ex hoc sequitur ut virtutes item ceteras fidem, justitiam, mansuetudinem, clementiam, beneficentiam, patientiam habuerit, quæ religioni, etiam vanæ, adhærent. Nec vero in Deos tantum pius, sed *pietatis* in patriam, & parentes, & patronos, & liberos, & alios sanguine junctos piissimus fuit æstimator, illis legitimum honorem, his debitum

bitum amorem vindicando, in *l.* 15. *D. de Inofficioso test. l. ult. D. Familiæ ercisc. l.* 6. *D. de Servis export. l.* 19. *Quæ in fraudem cred. l.* 72. §. 1. *D. de Conditionibus & dem.* Huc pertinet nobile responsum Nicostrato Rhetori, amico &, quod ex Suida intelligere licet, coætaneo suo datum, qui habitationis sibi à Regulo discipulo cum illo elogio, *Quia me eloquentia & diligentia tua meliorem fecisti*, donatæ controversiam patiebatur: *Dixi*, inquit Papinianus, *posse defendi, non meram donationem esse, sed officium magistri quadam mercede remuneratum Regulum, ideoque non videri donationem sequentis temporis* (quod scilicet post mortem Reguli intercessisset) *irritam esse. l.* 27. *D. de Donationibus.* Pie & merito extra causam meræ donationis inæstimabile illud præceptoris officium æstimat Papinianus, Scævola præceptore suo ut alias, ita hac parte humanior, qui haud dubie ex precarii natura heredes voluntatem mutare posse respondisset *l.* 32. *D. eodem.* Noster memor dicti veteris; Diis, parentibus & magistris nunquam parem rependi gratiam, non ingratum discipulum, quantam maximam potuit mercedem referre voluisse, respondit. *Remunerationem* vocat, non donationem: hæc enim propria gratificantis est, illa officium,

ficium, quod gratis præstari non solet, præsupponit, *l.* 1. *D. de Extraord. cognit.* Mirum in modum hæc illustrabit Seneca lib. VI. de Beneficiis cap. 16. qui addendus Cujacio lib. XXI. Observat. cap. 37.

§. II. Ne quis autem existimet, Papinianum magnifice de religione & pietate locutum, vacuum rerum fuisse, ut solent quibus probitas laudatur & alget; hoc amplius ostendisse juvabit, quod ipsis etiam factis fuerit

Virtutis veræ custos rigidusque satelles.

Decet sane magnos animos *lenitas*, nec in alios cadit, quam qui in suprema potestate constituti; hanc autem cum justitia ita copulavit, ut verecundiam peccandi faceret clementia regentis, & metus pœnæ facinorosos emendaret. *Æquitatis* certe ita fuit studiosus, ut non modo quid bonum & æquum esset, sed quid æquius & melius attenderet, justitiæ magis, quam juris consultus; ideo Prætori suadet, ut humaniorem eligat sententiam in *l.* 8. *D. de Pactis:* ridiculus, nisi ipse ἐπιείκειαν in judicando & respondendo, tum apud populum & senatum secutus. *Castitatem* extra connubium & in eo servavit illibatam; assumsit conjugem, prosperis dubiisque sociam, ex qua filium bonæ frugis, in quæstura necatum, suscepit.

suscepit. Incestas prorsus damnavit nuptias, turpe ducens, hominem, equi instar aut muli, ad genus suum hinnire. Vide *l.* 38. *D. ad Legem Juliam de adult.* Contra adulteros tres libros composuit, & Severo auctor fuit, ut dormientem Legem Juliam minis gravissimis suscitaret, ipseque vitam celsius consurgentem pudicitia exornaret. *Diligentiam* ostendunt opera exasciata, advocationes & consilia, quibus plurimos juvit: ostendit munus togatum simul & militare, obtentum à Severo, qui *ad eligendos industrios quosque judicii fuit singularis*, Spart. cap. 18. ostendit denique rata ejus quasi sententia in l. 78. §. 2. D. de Legatis lib. 2. *Ignaviam prætendentes audiri non oportet.* Habuit hoc natura & ingenio, corporis compage animi vigorem sustinente: sed stimulos addidit Scævola magister, symbolo suo: *Jus civile vigilantibus scriptum est*, in *l.* 24. *D. Quæ in fraudem cred.* Ex cujus item schola Severus Papiniani laborum & studiorum æmulus, adeo in rebus agendis industrius laudatur & acer, ut morti vicinus tribuno signum dederit LABOREMUS, vel ut melius Dio sub finem lib. 76. ΑΓΕΤΕ, ΔΟΤΕ ΕΙ ΤΙ ΠΡΑΞΑΙ ΕΧΟΜΕΝ *Agitedum, date, si quid peragendum habemus.* Quis denique finis foret, si animi erecti magnitudinem,

dinem, constantiam, veritatis studium, & nummorum contemtum, raras olim & nunc virtutes, sed tempore Commodi & Caracallæ rarissimas, commemorem? His autem utrique fortunæ par fuit, & contra tot ridentis fortunæ illecebras, fulmina & nimbos super humana se erexit. Non alio argumento opus est, quam quod nulla via, nec minis, nec precibus, nec pretio adigi potuit, ut parricidium excusaret, licet à Principe legibus soluto commissum. Cervicem securi, quam linguam manumque sceleris patrocinio præbere malebat, reipsa exprimens illud Juvenalis Sat. VIII. v. 81.

- - *Phalaris licet imperet, ut sis*
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro:
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.

§. III. Vereor, ne jam tot, quot in homine Ethnico sat est, virtutes, & nimias forte, ad dedecus Christiani orbis, attulisse videamur: verum nec temporum conditio, nec Papinianei nominis sanctimonia permittit, ut duas, velut totidem gemmas, prætereamus; *Modestiam* & *Simplicitatem*. Hujus nomine ipse Justinianus eum commendat in §. 7. *Inst. de Fideicomm. hered.* verbis quæ sequuntur: *Sed quia stipulationes*

ex Senatusconsulto Pegasiano descendentes, & ipsi antiquitati displicuerunt, & quibusdam casibus captiosas eas homo excelsi ingenii Papinianus appellat, & nobis in legibus magis simplicitas, quam difficultas placet, ideo &c. Enimvero olim restituta ex Senatusconsulto Pegasiano hereditate, actiones hereditarias solus fiduciarius excipiebat; fideicommissarius loco legatarii partiarii erat; quasi non hereditatem, sed legatum partitionis accepisset. Ne autem ille solus ferret onus æris alieni, partis & pro parte stipulationes interponebantur; scilicet, ut damnum & lucrum hereditarium pro rata parte commune esset, & heres pro quarta, fideicommissarius vero pro dodrante onera hereditaria sustineret. Paullus *lib. IV. Sent. tit.* 3. Ulpianus *tit. XXV.* §. 15. Sed quia stipulationes hæ neque directo neque utiliter mutabant jus obligationum hereditariarum, & fiduciarius indemnitatis nomine cum fideicommissario vel ejus heredibus experiri tenebatur: fieri autem poterat, ut hi numero plures, vel remoto in loco, vel non solvendo essent, ideo cautiones illæ antiquioribus Jurisconsultis displicuerunt *l.* 2. §. 3. *C. de Veteri jure enucl.* & Papinianus his casibus eas *captiosas*, ἐπιζημίυς, damno & captioni obnoxias appellavit. Modestinus per

ἐνϛηματικὸν viam quæsivit tutiorem, qua laqueos illos evadere liceret, ut ex *l.* 45. *D. ad SCtum Trebell.* Vir Cl. Henricus Brenkmannus ingeniose docuit, cap: XI. Diatribæ. Sed Justinianus, omnibus illis ambagibus Pegasianis & verborum fraudibus expulsis, tandem Papiniani *simplicitatem* secutus est. Simplicitas opponitur hoc loco subtilitati, obscuritati, scrupulosis observationibus, ac differentiis nimiis, quas ille *prudenti simplicitate*, ut vocat Martialis, ad facilitatem redigere tentavit, ne homines simpliciores amplius caperentur. Hujusmodi simplicitas legibus amica esse dicitur §. 3. *Inst. de Legitima agnat. succ.* quia ex subtilitate lites, inde odia, injuriæ & sæpe cædes succrescunt. Strabonis nota huc pertinet, lib. VI. *Zaleucum illum Thuriis olim paucas & SIMPLICES leges dedisse; sed secutos, alias per subtilitatem & nimiam curam addidisse: ex quo factum ut celebres magis, quam boni redderentur.* Addit dogma: *Bonis uti legibus, non qui omnes iis sycophantias aut calumnias cavent, sed qui SIMPLICITER latis firmiter inhærent.* Niveum igitur Papiniani pectus, quemadmodum captiosa, vana & fallentiâ odio habuit, ita simplicia, fidelia & constantia dilexit. Talis fuit, qualem describit Hieronymus in librum

librum Oseæ cap. 2. *Præcepit*, inquit, *Dominus in Evangelio Matthæi cap.* 10. *ut simus simplices quasi columbæ, & astuti quasi serpentes; ut imitantes simplicitatem columbarum, & serpentis astutiam, nec aliis nocere possimus, nec ab aliis patiamur insidias: sed simplicitate & prudentia exhibeamus hominem temperatum, quia prudentia absque bonitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur.* Huc item referendum, quod præcidendis & minuendis litibus studuit; enixe commendans, ut partes amice lites componant, non incertam judiciorum aleam experiantur. Sic fratres laudat, & pietatis officio fungi ait, qui arbitro, quem acceperant, relicto, communem hereditatem consensu dividunt. *L. ult. D. Familiæ ercisc.* Et alibi testatoris consilium probat, qui bona sua divisit, ut discordiis propinquorum sedandis prospiceret, quas, ut ait, materia communionis excitare solet. *l.* 77. §. 20. *D. de Legatis lib.* 2. Præcepta profecto in tantum laudanda, in quantum germana simplicitas laudari potest! Trita est Chilonis Lacedæmonii sententia, aureis litteris Delphico templo consecrata: *Æris alieni atque Litis comitem esse miseriam.* Tempus, fama, nummi, omnia in hac arena profunduntur. Taceo infinitas molestias

litigantibus devorandas. Et quot ibi non ferendæ injuriæ, quot veteratorum fraudes, falsa, nundinationes juris, & iniquitates? Adde hominum indignissimorum indignas prensationes, improbos cultus, & miranda fastidia honoratorum. Hæc suis momentis qui expendunt, illis lis erit nunquam, & verecunda videbitur cogitatio aliorum, qui lites execrantur. Discamus etiam hinc, quantum ætas nostra à sincero illo veterum genio recesserit. Mille sutelis, mille mæandris & nocendi artibus simplicitas oppressa jacet. Per Symplegadas navigatur Colchos, & comperendinationes istæ ad lucellum eunt. Interim miseri ad tabem perducuntur litigatores, nec missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

§. IV. Hæc de simplicitate. Videamus *Modestiam*, quæ concolor illi valde, & aperti mitisque animi assidua comes. Omnes ea homines decet, sed miraculi instar est, in viris summis, quod plures arrogantiæ occasiones habent. Favor Principis, tituli, adulatio, obsequia, & demissio omnium quem non dementent? Sed noster tametsi Severo individuus & summos domi militiæque honores obtineret, adeo fortunæ non tradidit animum, ut etiam in purpura & mediis aulæ tumoribus modestiæ laudem retineret.

neret. In universum modestiam veterum Jurisconsultorum perelegante oratione celebravit Antonius Matthæus: nec ego laudibus eorum quicquam detractum volo; homines tamen fuerunt, & nonnunquam tam in suis proponendis, quam in aliorum sententiis refellendis vocibus durioribus aut elatis utuntur. Unius Papiniani tanta fuit moderatio, ut præ ceteris digito monstrari mereatur, & de ipso vere affirmari possit, quod de Tito Aristone, sui temporis Jurisconsulto, scripsit Plinius lib. I. Epist. 22. *Quid est quod non statim sciat? & tamen plerumque hæsitat, dubitat, diversitate rationum: quas acri magnoque judicio ab origine caussisque primis repetit, discernit, expendit.* Ecce enim, quoties de eo, quod certi juris nondum erat, respondet, quam timide, quam verecunde sententiam profert: dubitationem magis, quam opinionem suam, more Academicorum, proposuisse putes. Ex libris ejus Quæstionum formulas ejusmodi verecundiæ plenissimas, *potest dici*, *cujus rei ratio forsitan est*, *prope est*, *dixi posse defendi*, *deliberandum est*, collegimus supra pag. 235. hic velut sua sede alias proferamus. Sic quod in *l.* 1. *D. de Pignoribus* creditori scienti, obligatam esse rem alienam, *difficilius* Servianam dari, ait, non est cum difficultate,

vix & ægre, ut Cujacius, Charondas, Balduinus & Connanus acceperunt; sed nullo modo, nunquam, plane non dari. Eodem pudore usus est in *l.24. D. Mandati l.8. D. de Collat. bonor. l. 95. §. 3. D. de Solutionibus:* sicut Julianus in *l.22. §.7. Ratam rem hab.* & Ulpianus in *l. 23. D. Pro socio.* Sic diffidenti similis est, quando *pro parte*, ait, *intestatum videri, non absurdum videtur*, in l. 15. D. de Inofficioso test. *Filii videri fidei commisisse placuit* l. 93. D. de Conditionibus & demonstr. *Non videri* in *l. 41. §. f. D. de Vulgari & pup. subst. l. 31. §. 3. D. de Donationibus l. 118. §. pen. de Verborum obl. l. 82. 83. D. de Regulis juris.* Formula à Veteribus petita, qui eandem, quod facile errare mortales possunt, in legibus, plebiscitis, testibus & judicum cognitionibus religiose usurparunt, ut docuit Cujacius lib. III. Observat. cap. 26. & Duarenus lib. II. Disput. anniv. cap. 11. Sic quasi sententiæ incertus hæsitare videtur in *l. 63. D. de Ritu nupt.* ubi ait, *deliberari potest*, & confestim, omni velut dubitatione perfunctus, mulieri rem omnem salvam esse jubet. Id quod exactitudini atque modestiæ ejus singulari tribuit, & illustrat Vir Cl. Zacharias Huberus in dissertatione ad hanc legem singulari. Magis autem hæc verecundia ex perpetua scri-

bendi

bendi consuetudine enitet: cum enim aliorum clarissimorum Jurisconsultorum peccatis reprehendendis & exaggerandis laureolam apud imperitos quærere potuisset, suæ tamen naturæ servire, atque errata, gravissima licet, dissimulare maluit; quia nihil ad ostentationem, omnia ad usum referebat, veriorisque sententiæ non ex populi sermone mercedem, sed ex scriptis petebat. Sicubi vero aliorum sententias impugnat; nuspiam illas perabsurdas, inciviles, calumniosas, ridiculas, stultas, inconditas, & ineptissimas vocat, more Celsi, Juliani, Ulpiani & Paulli: sed sine sugillatione & morsu, ut decet mitiorum dearum alumnos, vel ad scholæ suæ auctores provocat, *Prudentioribus placuit*, in l. 54. pr. D. Mandati: vel aliter sentientibus rigorem objicit, *durissimam esse sententiam secus existimantium* l. 87. D. de Legatis lib. 1. *Interpretationem esse perduram*, *pernimirum severam* l. 2. §. 1. D. de Custodia & exhib. vel æquitatem obtendit & veritatem, ut *commodius est* in l. 3. §. 2. D. de Separationibus: *verius est* l. 9. §. 1. D. de Duobus reis: vel aliud respondentes *contra juris formam* agere scribit, l. 49. in fin. D. de Fidejussoribus. Nominibus etiam eorum, quos perstringit, parcere solet: judicans prudenter, errorem magis, quam

adversarium nota dignum, nihilque humani à se ipso alienum esse. *Quidam putant; sed ratio faciet*, ait in l. 6. D. de Servis export. Rursus in l. 18. §. ult. D. de stip. serv. *Secundum quæ non transit ad alterum obligatio*, ut quidam scilicet existimabant, quos inter & Ulpianus *l. 25. §. 2. D. de Usufructu.* In unicum Alfenum commotior fuit, teste l. 74. D. de Legatis lib. 2. *Non est verum, quod Alfenus retulit.* Sed lepide Cujacius: *Alfenus reprehenditur à Papiniano, qui nescio, quam maleferiatus fuerit, semper enim reprehenditur, qui ex sutore factus est, ut ait Horatius.* Utinam vero his in finibus nostra ætas subsisteret, atque in arguendis aliorum opinionibus Juris auctores ad modestiam compositos, placidos illos inquam Justitiæ mystas, sequerentur. Nunc videas passim eruditos in Senatu litterario iisdem convitiis se proscindentes, quibus scurræ & balatrones in biviis & triviis utuntur. Omnis disceptationis scopus veritas esto. Quis recte an secus senserit, haud ingrata posteritas judicabit.

§. V. Illud vero gravissimum Papinianeæ modestiæ argumentum est, quod rationibus aliorum Prudentum convictus, sententiam aliquando mutare erubuit. Non ita refractarium vulgus, quod stulte ac diu

in

in parum cognitis perſeverare ſolet. Veterum quoque Juriſconſultorum nonnulli, pertinaciter iis adhæſere, quæ à præceptoribus & ſecta accepiſſent, *l.* 32. *D. de Damno inf.* *l.* 5. *D. de Manumiſſis vind.* Privatarum item ſententiarum fuerunt tenaciores, *conſtanter* & *fortius* opinionem ſuam tuentes *l.* 10. §. 2. *D. de Teſtamentaria tut.* *l.* 1. §. 1. *de Legatis lib.* 3. Noſtrum vero inter omnes licet, qui vixerunt, merito excellentem, non puduit cedere rectiora monſtranti. In illa enim ſpecie, ſi tertius aliquis rem mihi ab alio pigneratam vel commodatam furto abſtulit, quærebatur, num pœnam à fure exactam ego lucrifaciam, an vero rei domino una cum re reſtituere cogar? Papinianus in pignore domino pœnam deberi exiſtimabat *l.* 22. *pr.* & §. 1. *D. de Pignoratitia actione* *l.* 15. *D. de Furtis.* Nec alia ratio commodati aliquando ipſi videbatur: donec in contrariam deinde ſententiam concedens, cum Sabino crederet, lucrum id minime debere ad dominum rei pervenire. Neutra ſententia caret ratione: non illa; quod ſatis videbatur, commodatarium uſum gratuitum rei commodatæ habere: non hæc; quia diverſa eſt creditoris & commodatarii ratio: illius non intereſt, quia poſſeſſio fuit recuperata; commodata-

rio autem medii temporis interusurium abest, in cujus compensationem pœnam cedere æquum est. Auctores Βασιλικῶν priorem Papiniani sententiam probarunt lib. LX. tit. 6. Posteriorem Justinianus *l. ult.* §. 3. *C. de Furtis*, ubi rem totam, neutra sententia in Pandectas relata, ita exponit: *Licet ab antiquis variatum est, & ab ipso Papiniano, in contrarias declinante sententias: tamen nobis hæc decidentibus, Papinianus, licet variaverit, eligendus est, non in prima, sed in secunda ejus definitione, in qua lucrum statuit minime ad dominum pervenire.* Alterum variationis exemplum hoc est: Si servus venditus sit sub conditione pœnali, ne in Italia esset, ac eveniat, ut pactum ab emtore non servetur, quæsitum, an venditor actionem habeat? Papinianus in *l. 7. pr. D. de Servis exportandis* vix esse putabat, ut eo nomine vindictæ ratione agere posset: quod crudele nimium sit, & indignum, ob pœnam vel contumeliam homini non irrogatam, hominem experiri; cum beneficio hominem adfici hominis magis intersit. Hæc ille lib. XX. Quæstionum. Sabinus vero existimarat, pœnam ideo peti posse; quia tale pactum semper ejus quod interest rationem pecuniariam habet, id quod cum noster deinde legeret, verso stilo lib. XXVII.

Quæstionum in *l. 6. D. eodem* scribit: *Nobis aliquando placebat - - Sed in contrarium me vocat Sabini sententia: qui utiliter agi ideo arbitratus est, quoniam hoc minoris homo venisse videbatur*. Ingenue retractat, non quod eum pœniteret rationis piæ & humanæ, sed quia in facto se errasse videbat. Interim tanta est in hominum sententiis diversitas, ut Tribonianus opinionem ab ipso auctore reprobatam in locum postremum retulerit, tanquam saniorem; saltem nihil erat necesse, ut utrumque caput, ceu valiturum, πραγματικῶς inculcaret.

§. VI. Fallor: nisi aliud hic arcanum latet. Quo magis enim verba *l. ult.* §. 3. *C. de Furtis* perpendo, eo verisimilius mihi videtur, Justinianum similiter hoc loco inconstantiæ, oblivionis & erroris notam tacite impingere voluisse Papiniano, quod in eodem opere Quæstionum mutaverit sententiam prius publicatam. Ventosis sæculi Justinianei moribus hæc censura convenit, & locus ei foret, si præceptoris exemplo, aliter in Quæstionum, aliter in Responsorum libris, quasi nullius sententiæ, statuisset. Equidem Franciscus Hotmanus lib. IV. Observat. cap. 10. ejusmodi aliquid in *l.* 24. & *l.* 25. *Depositi* notasse sibi visus est; sed omnia ibi sincera sunt, modo indoles Quæstionum

stionum & Responsorum probe dignoscatur. In *l.* 24. Papinianus tanquam dubius & suspensus, propter diversas veterum sententias, subobscure & abrupta, ut solet, sermonis brevitate quærit & disputat, depositum an mutuum esset. Unde Basilicῶν Auctores eum nec percepisse videntur, qui negant depositi actionem esse. In Responso *l.* 25. autem, ubi jus certum consulenti suggerendum erat, plenius rem definit: neque enim ea in specie expresse convenerat, ut depositarius pecunia deposita uteretur, quo casu demum isthæc conventio mutui naturam induit *l.* 9. §. *ult.* & *l.* 10. *D. de Rebus creditis.* Adversis porro cornibus rursus immediate ex Quæstionum & Responsorum libris conjunctæ *l.* 44. §. 3. cum *l.* 45. §. *ult. D. de Usurpationibus.* Item *l.* 3. §. 2. *D. de Usuris* cum *l.* 58. §. 7. *D. ad SCtum Trebellianum* pugnarent, ut vix inconstantiæ notam effugere, & integritatis laudem tueri posset Papinianus: nisi capita posteriora summus Cujacius lib. XII. Observat. cap. 10. illa Clarissimus Hardervicensis Antecessor, Gulielmus Best de Ratione emend. leges cap. 23. in concordiam reduxissent. Cessit id autem tam feliciter, ut ipsæ rationes à Papiniano subjectæ & negationem & geminationem flagitare videantur. Nihil

ergo

ergo caussæ erat, cur Tribonianus variationem ante memoratam Papiniani inconstantiæ adscriberet, quasi Protei in modum in varias transierit figuras,

- - - - - ceu nubibus arcus
Mille trahit varios, adverso sole, colores.

Quemadmodum enim Tullius *Non putavit famam inconstantiæ sibi pertimescendam, si quibusdam in sententiis paulum se immutasset*, lib. I. Epist. 9. sic tantum à reprehensione hic abest, ut potius laudi tribuendum sit Papiniano, & ipse sibi duxerit, quod cedere voluit, ubi vinci erat necessum. Quicquid hominum est opinantur, vacillant, labuntur indies, etiam ubi se accuratissimos fuisse putant. Et nonne supervacuus foret in studiis longior labor, si nihil præteritis melius invenire liceret? nonne nova culpa est, culpam pertinaciter tueri? Stoicorum hoc dogma erat, non adeo obstinate decretis inhærendum esse: Marcus sæpius inculcat *lib. I.* §. 16. *l. IV.* §. 12. *l. VI.* §. 21. *lib. VIII.* §. 16. Arrianus *lib. II. Dissertat. Epicteti cap.* 15. & Seneca lib. IV. de Beneficiis cap. 38. *Non est levitas à cognito & damnato errore discedere, & ingenue fatendum est aliud putavi, deceptus sum: hæc vero superbæ stultitiæ perseverantia est: Quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque sit.*

Horum

Horum exemplo prudenter & sancte variavit Papinianus, in senectute emendans, quæ juvenis peccarat. Nec is solus. Variarunt & alii prudentissimi viri: Sabinus in *l.* 17. *D. de Heredibus inst.* Julianus *l.* 15. §. 1. *D. ad Legem Aq.* Marcellus *l.* 7. §. *pen. D. de Pactis:* Scævola *l.* 23. §. 3. *D. de Acquirendo rer dom.* Mæcianus *l.* 17. *de Jure patronatus:* Ulpianus *l.* 92. *D. de Conditionibus & dem.* Paullus *l.* 78. §. *pen. de Legatis lib.* 3. Vide Cujacium lib. IV. Obs. cap. 1. Merillium I. Obs. cap. 9. Noodtium ad Leg. Aquiliam cap. 10. Rationem variationis egregiam explicat Quintilianus lib. III. Instit. cap. 6. *Ipse me paulum in alia, quam prius habui, opinione nunc esse confiteor; & fortasse tutissimum erat, famæ modo studenti, nihil ex eo mutare, quod multis annis non sensissem modo, verum etiam approbassem. Sed non sustineo esse mihi conscius dissimulanti in eo præsertim opere, quod ad bonorum juvenum aliquam utilitatem componimus, in illa parte judicii mei. Nam & Hippocrates, clarus arte Medicinæ, videtur honestissime fecisse, qui quosdam errores, ne posteri errarent, confessus est. Et M. Tullius non dubitavit, aliquos jam libros, aliis postea scriptis, ipse damnare.* Inter Patres quoque Augustinus *Retractationum* libros scripsit.

Inter

Inter Medicos post Hippocratem alii item resipiscentes se suaque correxerunt, teste Cornelio Celso. Inter Jurisconsultos doctissimus Zasius ad *l. si per errorem* 15. *D. de Jurisdictione*, primo Doctoratus anno, se in ejus explicatione errasse, generosa confessione scribit. Celeberrimus Goveanus librum suum de jure accrescendi, edito Duareni de eadem re scripto, post decennium retractavit, auctore Hotmano in AntiTribon. cap. 6. Et summus denique Cujacius plus semel scriptorum suorum Censor est, atque erroris veniam se prolixe petiturum pollicetur, si ab altera parte veritas stare videatur, l. II. Obs. cap. ult. l. V. cap. 38. lib. IX. cap. 5. Sexaginta & novem ejus variationes à Merillio sunt observatæ. Atque *Utinam* inquit, lib. II. Obs. cap. 37. in fine, *qui hoc tempore jus nostrum interpretantur, Papinianum imitati, quæ vel falso vel inepte aliquando senserint, ingenue retractarent, nec in iis, contra quam postea resciverint, tam obstinato tamque obfirmato animo uti faciunt, perseverarent.* Idem judicium est acutissimi Antonii Fabri in Rational. ad l. 7. de Servis export. *Non puduit*, inquit, *tantum virum, nec minus orbis totius, quam Jurisprudentiæ nostræ miraculum variare, ut mutaret sententiam in melius, quod & Volusio*

Mæciano

Maeciano & Scaevolae video accidisse. Addit Huberus in Eunomia ad d. l. 7. *Utinam, similis candor inesset saeculi nostri eruditis, ut, si Papinianum imitari non sustinerent, quod nimis procul habent, eruditos alios religioni non ducentes ἀναιρεῖν τὰ οἰκεῖα, veritatis caussa sua dicta retractare, non insectarentur.* His satisfactum puto censurae Triboniani, qui ipse toties variavit &c, quod foedum, pretio leges fixit, atque refixit.

§. VII. Sed novum crimen, Patres conscripti! Illustris Spanhemius parte II. Orbis Romani cap. 4. haud leviorem, à projecta in Principes adulatione, invidiam Papiniano struit: causatus, quod ille, qui alioquin *prudentissimus* juris antistes, ab Imperatoribus dici meruit, non Severum modo, sed Antoninum Caracallam, hominem omnibus terribilem, *Optimi Maximique Principis* cognomine ornare non erubuit; id quod Trajano, & Marco, bonisque id genus Principibus vix debebatur. *Optimus Maximusque Princeps noster Severus Augustus*, scribit in l. 78. §. 1. D. de Legatis lib. 2. *Optimi Maximique Principes nostri*, in l. 22. D. de Accusationibus. Ecquid vero hoc est, nisi enormiter adulari, gratiam aucupari, in genua procumbere, omnique pietatis & libertatis exuta ratione, divinitatis sensum

sensum inspirare Principibus fœdissimis, quos æquius fuerat monuisse, ut se unos civium, mortales, homines cogitarent. Notum est Jovi Capitolino proprium hoc cognomen fuisse. Is *Optimus* propter infinitam bonitatem, *Maximus* propter summam vim & potestatem vocabatur, auctore Cicerone lib. II. de Natura Deorum cap. 25. qui & pro Domo cap. 57. *Quocirca*, inquit, *te Capitoline, quem propter beneficia populus Romanus Optimum, propter vim Maximum nominavit.* Cum hujus igitur injuria & impietate sacrilegum hoc encomium videtur esse conjunctum. Verum, si penitius paulo rem considerare placet, haud difficile erit à viro sanctissimo amoliri censuram specie gravem. Primi fastigii cognomina non semper ratione certoque consilio, sed impetu & acclamationibus populi vel Senatus indignis sæpe concessa constat: assentans enim populus, teste Seneca, quicquid titulorum congerere potuit, ambitiosæ majestati tribuebat. Inter alia cognomenta quædam fuerunt à Diis petita: Adrianus *Olympius* dictus, teste Spartiano: Commodus *Hercules Romanus*, auctore Lampridio: Diocletianus *Jovius*, in nummis: Caligula *Optimus Maximus*, Sueton. cap. 22. Trajanus *Optimus*, Plin. Panegyr. cap. 88.

& conjunctim OPTIMVS. MAXIMVS apud Gruter. pag. 247. n. 5. Adrianus *Maximus*, l. 20. §. 6. de Petit. hered. & OPTIMVS. MAXIMVS. apud Gruterum pag. 249. n. 2. Sic horum exemplo *Optimi Maximi* elogium vel ipse assumsit Severus, vel populus in inauguratione, aut re præclara in commune beneficium præstita ei ingessit, vel Senatus denique imposuit, *nihil non honorum & cognominum illi decernens* auctore Herodiano lib. III. cap. 9. Hoc vero ipse deinceps usus est, quod hominum salutem in sua, post Jovem, tutela esse putavit. Inde *OPTIMUS*, *fortissimus*, *providentissimusque Princeps*, in lapidibus apud Gruterum pag. 263. n. 3. 5. & *Parthicus MAXIMVS*, pag. 264. n. 1. 2. vocatur. Tryphoninus item Papiniani assessor similiter eundem & Antoninum *Optimos Principes* appellat in *l.* 39. *D. de Pœnis*. Quid sodes, igitur vitii habet, si Papinianus aulæ addictus, & præcipua in dignatione positus usum loquendi gratum atque communem, & quidem Severi crudelitate jam remissa, Bassiani autem moribus nondum depravatis, secutus est? Non adeo vecors & nimia ipsum agitabat libertas, ut cum insano Labeone, nihil ratum pensumque haberet, nisi quod prisco loquendi modo conve-

conveniebat: neque nimium ei Capitonis obſequium probabatur, qui inſignitior apud poſteros infamia fuit, quod humani divinique juris ſciens egregium publicum & bonas domi artes dehoneſtaſſet. Medium itaque inter abruptam contumaciam & deforme obſequium iter, periculis & ambitione vacuum, perrexit noſter, ut in verbis facilis Majeſtatem Principum coleret ſanctiſſime; ubi vero juſtitiæ & fidei periculum, ab adulantium aſſentatione alieniſſimus eſſet. Non ignorabat multa in Severo, quæ reprehenderet, ut magnis virtutibus confinia vitia eſſe ſolent: ſed didicerat etiam, bonos Principes voto expetendos, qualescunque tolerandos, nec contumacia aut inani jactatione libertatis famam fatumque provocandum. *Poſſe etiam ſub malis Principibus magnos eſſe viros, obſequiumque & modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, ſed in nullum Reipublicæ uſum, ambitioſa morte inclaruerunt.* Verba ſunt Taciti in Agricola cap. 42. Et quid cognomen hoc præ titulis, qui mox ſequutis temporibus in uſu? Ipſos Imperatores, in Codice paſſim *Oracula cœleſtia; ſacras conſtitutiones, os divinum; divinam vocem; conſulta cœleſtia; numen; adorare Principum*

æternitatem, & alia ingeminare legas, vix Principe, ne dicam Christiano digna! Quid Ulpianus, Paullus, Tryphoninus & Marcianus? Nonne Bassianum, monstrum hominis piaculare, Patri in ordine scripturæ anteponunt? Nonne *Magnum*, nonne *Divum* vocant, quasi cœlo medios inter Deos adscriptum, in *l.* 44. *D. de Excusationibus. l.* 2. §. *ult. ad SCtum Tertull. l.* 9. *D. de Captivis*, *l. ult. D. de Veteranis l.* 9. *D. de Diversis temp.* Severo aliquali caussa is honor contigit, ut post mortem, Romana superstitione, lugentibus omnibus & faventibus consecraretur, prout ejus ἀποθέωσιν fuse describit Herodianus lib. IV. cap. 2. Antoninum vero à Macrino, qui eum occiderat, *timore militum*, nullo suo merito, inter Deos relatum, scribit Spartianus cap. XI.

§. VIII. Enimvero nec pessimum fuisse nec minimum inter Principes Severum, cum studia & mores, tum ultima senio confecti & morituri verba evincunt: *Cuncta fui, conducit nihil.* Quo verborum compendio, ait Casaubonus, complexus est integri libelli ejus summam, qui à sapientissimo Regum Salomone super humanarum rerum vanitate, plane divinitus est compositus. Dein adjecit: *Turbatam remp. ubique accepi, pacatam, etiam Britannis relin-*

quo.

quo. Urnam quoque, in qua cineres sui erant recondendi, diu contrectans & contemplatus, vocem edidisse fertur: *Tu virum capies, quem orbis terrarum non capit.* Mitto Dionem, Spartianum & Herodianum, vel unicus Victor sufficit: *Severo*, inquit, *præclarior in Rep. fuit nemo: quem, quanquam exacta ætate mortuum, justitio elogioque lugendum sanxere: astruentes illum justum nasci, aut emori minime convenisse.* Orientis & Septentrionis domitor audit, contra Britannos trophæa excitavit, &, quod maximum ejus imperii decus vocat Spartianus, muro per transversam insulam ducto utrinque finem Oceani communivit. Tertullianus coævus in libro adversus Judæos cap. 7. *Britanniæ intra Oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum gens & Getulorum rabies à Romanis obsidetur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui legionum præsidiis Imperium suum muniunt?* In nummis propterea parte altera Severus cum conjuge, altera Antoninus & Geta Impp. conspiciuntur, cum inscriptione: FELICITAS PUBLICA. PERPETUA CONCORDIA. In marmoribus item litteratis passim Severus PACATOR. ORBIS. ET. FUNDATOR. IMPERII. ROM. vocatur apud Grute-
 rum

rum pag. 56. 262. 266. 267. Patri in adolescentia haud multum absimilis fuit filius Caracalla; populo acceptus, gratus Senatui, blandus, jucundus, ingeniosus, multisque clementiæ exemplis clarus: ut quod de Neronis quinquennio dicitur, idem de primis annis, quibus ab Severo in imperium cooptatus, prædicari queat. *Jam enim factus Imperator cum Doctoribus versabatur magnamque diei partem philosophabatur* ait Xiphilinus lib. 77. Memorabilis ejus liberalitas in Oppianum, cujus carminum elegantia ita delectatus, ut in singulos versus (numera, & stupebis) singulos aureos rependi jusserit. Euripidis item amantissimum fuisse ex Dionis lib. 78. constat. PII, FELICIS, AUGUSTI, OPTIMI, FORTISSIMIQUE PRINCIPIS elogia ei ideo tributa in titulis apud Grut. pag. XI. 5. & 265. 1. quæ vero ibidem erasa indicantur, postquam scilicet fortuna & potentia elatus, præcipiti cursu à virtute desciverat, & cum rege Atreo apud Senecam in Thyeste versu 217. professus:

- - Sanctitas, pietas, fides
Privata bona sunt: qua juvat, reges eant.

Valde autem notandum puto, quod Spartianus observat cap. 22. Papinianum sanctissimis monitis ad principatum bene ge-

rendum

rendum Severum instruxisse, *Hujus*, inquit, *moribus factum puto, ut Severus, tristior vir ad omnia, imo etiam crudelior, pius & dignus deorum altaribus duceretur.* Alibi, circa finem Caracallæ narrat, Severum animo volutasse, ut filium insidias sibi struentem occideret, idque effecisse, *nisi repugnassent Præfecti ejus graves viri.* Inter hos autem Papinianum præfectum prætorio & Castorem præpositum sacri cubiculi Dio recenset nominatim lib. 76. cujus verba semel adscribo: *Severus revertit in prætorium: ibi filium, & Papinianum & Castorem ad se vocat: dein gladium in medio collocari jubet. Hic illum increpat, tum quod alio quoque tempore facinus ejusmodi* (parricidii) *fuisset ausus aggredi, tum quod in omnium sociorum & hostium conspectu tantum malum tunc admissurus erat. Tandem, si me cupis, inquit, interficere; hic me interfice: nam viribus tu quidem polles, ego vero senex sum & jaceo. Quod si id detrectas & manus mihi inferre reformidas: adstat tibi Papinianus præfectus, cui jubere potes, ut me interficiat: Omnino enim faciet, quicquid abs te, quum Imperator sis, mandatum fuerit.* Hiccine Papinianum adulatorem egisse, aut mutum fuisse credimus? Absit. Lenivit iram Severi, sed & acerbissime increpuit Bassianum, quod

ἔργον ἀνοσιώτατον & *maximum inter homines delictum*, ut Euripides & Diodorus vocant, non animo tantum concipere, verum ipso actu, ceu omnibus brutis immanior, tentare ausus: crimen, pari vindicta, qua Deorum violatio, expiandum. Nec inultam Antoninus hanc reprehensionem passus: quam primum imperium obtinuit, in ipsa statim Britannia, *Domesticos suos partim dimisit, in quorum numero fuit Papinianus, Praefectus praetorio, partim occidi jussit, in quibus fuit Euhodus, educator ipsius & Castor*: scribit Dio lib. 77. in princ. Evenit nimirum ipsi, quod sequutis mox temporibus Ulpiano, quem Heliogabalus, imperii pestis, *removit, ut virum bonum*, auctore Lampridio in vita Heliog. cap. 16. Et rursus, quemadmodum Papinianus saluberrimis praeceptis suis Septimium Severum reddidit mitiorem, & imperio non poenitendum; sic Alexander Severus *Summus Imperator fuit, quod Ulpiani consiliis praecipue Rempublicam rexit*. Verba sunt Lampridii in Severo cap. 51. Bassiani lubrica natura & indoles in deteriora proclivis nulla disciplina corrigi, nec monitis Papiniani sanctissimis emendari poterat. Ut in Nerone Burrhi atque Senecae rectorum disciplina fuit infructuosa; sic amoto Tutore in otium, in voluptates; in

in libidines & inauditam crudelitatem, statim ac Imperator factus, conversa ejus sunt omnia.

§. IX. Superest ut Baronio occurramus, qui ad Annum CCXIV. §. 3. temeratæ religionis Christianæ Papinianum accusat, eique una cum Paullo & Ulpiano sæva & dira illa tribuit, quæ Severo absente in homines innocentissimos admissa fuerunt. *Papinianus*, inquit, *inter omnes, qui Romæ jus dicerent, Judices eminens, & alii Jurisconsulti, quod in causis Christianorum judicandis, nullam penitus æqui habuissent rationem, sed proculcatis legibus innumeros innocentes homines condemnassent: ipsi pariter nulla mortis digna allata causa, contra jus fasque, libidine tantum incitati Principis, quæ in Christianos irrogassent, eadem mortis supplicia pertulere.* Non prorsus falsa videtur hæc criminatio; quia conjecturis haud levibus adjuvatur. Siquidem ex Martyrologio passim liquet, Præfectos prætorio variis cruciatibus Christianos addixisse, sententia ab iis pro Tribunali sedentibus in Martyres prolata. Vehementer etiam Tertullianus hoc ævo de Jurisconsultorum Judicumque sævitia, in sua pro Christianis defensione, conquestus est. Ulpianus quoque & Paullus, Papiniani Assessores, tanquam professi

nominis Christiani hostes, jam dudum convicti videntur ex *l.* 13. *D. de Officio Præsidis l.* 1. §. 3. *D. de Extraord. cogn. l.* 25. §. 1. *D. de Probationibus l.* 30. *D. de Pœnis* juncto Lactantio *lib. V. Institut. cap.* 11. Ipsa denique Antonini clades immanis, dum nonnisi homines Gentiles percussit, Fidelibus autem nullum prorsus vel leve damnum intulit, satis arguere videtur, Papinianum aliosque Severi quondam Consiliarios, non nisi in ultionem sanguinis Christiani tam acerba & gravia perpessos esse. Sed ut omittam, quod ejusmodi adversus Papinianum litteris proditum sit nihil, nullumque ejus vel Assessorum de pœnis & persecutione Christianorum in Pandectis extet Responsum; maxima sane iniquitas est, veræ religionis cultum desiderare in illis hominibus, quibus in tanta superstitionis caligine, veri de vero Deo sensus gratia divina non affulsit. Jam dudum, Plinio Clarissimo Viro testante, innocentia Christianorum in palatio magis innotuerat, quam ut mitissimi ingenii Jurisconsulti eos, qui sibi tantum & quiete sentiebant, ferro & flammis extirpandos, lacerandos & divexandos sustinuissent, quum docendo magis, quam jubendo, monendo quam minando sacra conservari sciebant. Insuper execranda

cranda flagitia Christianis objecta, quæ Minucius Felix & alii deinde refutarunt. Impiorum & Atheorum numero habebantur, qui male de religionibus per tot sæcula cultis sentirent, nullos Deos colerent, nulla templa exstructa haberent: unde qui in suos Deos pii esse volebant, eos in verum Deum injurios & impiissimos fuisse oportet. Tacitus, cordatus cetera scriptor, Christianos suo tempore *per flagitia invisos*; & *exitiabilem superstitionem* cum *odio humani generis* fovere, scripsit lib. XV. cap. 44. Plinio *superstitio prava & immodica* videbatur lib. X. Epist. 97. Suetonius *genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ*, in Neronis vita cap. XVI. Dio *crimen impietatis* vocavit. Ut minime adeo mirandum foret, si Papinianus hujus coætaneus, ac strenuus Deorum cultor novæ, quæ Septimii Severi imperio, vel permissu orta est, persecutioni favisset, eive, ut potuit, non contradixisset. At tantum abest, is animus ut fuerit Viro sancto, ut Historiarum monumenta prorsus contrarium nobis persuadeant, ac Baronii suspiciones, conjecturas & & calumniandi libidinem rubore perfundant. Etenim decimo Severi anno persecutionem institutam scribit Eusebius; tum vero non Papinianus, sed Plautianus Præfecti

fecti prætorio munere functus est, ut diserte Xiphilinus lib. 76. princ. testatur. Eodem anno Severus, postquam in Syria cum Antonino consulatum iniisset, Alexandriam petiit, atque in itinere *Judæos fieri sub gravi pœna vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit*, auctore Spartiano cap. 17. Clades igitur Christianis illatæ, pariter ac Edicta prohibitoria Plautiano, homini tum temporis potentissimo, quemque magis, quam ipsum Principem, omnes metuebant, sunt adscribendæ. Inprimis si bene expendatur hoc ejus elogium apud Herodianum lib. III. cap. 10. *Plautianum Severus ex parva humilique fortuna ad opes maximas provexerat: ac damnatorum bonis adjudicatis, longe supra ceteros collocupletaverat, tantum non imperio quoque participato. Quibus ille opibus licentiaque abutens, nihil CRUDELITATIS aut violentiæ, omittebat, cunctis etiam atrocior omnium ætatum Principibus.* Hoc autem obtruncato, Papinianus omnia in melius convertit, adeo ut Severus & Antoninus tam Judæos quam Christianos antea invisos nunc deligerent, ac in curiis municipiorum, quin in ipsa aula sua paterentur. De Judæis Ulpianus in l. 3. §. fin. D. de Decurionibus, *Eos*, inquit, *qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divi Severus & Antoninus*

toninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitatem eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent. Judaicam superstitionem plerique hilarioris famæ Interpretes Christianorum dogma hic interpretantur; vocem *Severus* etiam cum Alciato in *Verus* mutant, occasionem benignitatis à victoria, quam insignem Marcus Aurelius Christianorum precibus consecutus fertur, petentes. At quam hi à veritate alieni sint, alibi ostendi, & nunc tantum unicum illud adversus hos notari velim, quod Hieronymus memoriæ prodidit: Ebræorum quosdam ea Danielis verba, quæ extant cap. XI. ℣. 34. *Quumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo, quia adjungent se ipsis multi blanditiis*; de Severo & Antonino Principibus intellexisse, quod hi tam propitia benevolentia erga Judæos fuere. De Christianis Tertullianus, auctor æqualis, ad Scapulam cap. IV. *Ipse etiam Severus, pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, & in palatio suo habuit, usque ad mortem ejus: quem & Antoninus optime noverat, lacte Christiano educatus. Sed & clarissimas feminas & clarissimos viros Severus, sciens hujus*

hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum & testimonio exornavit, & populo furenti in nos palam restitit. Sic igitur laus & honos Papiniano ubique surgit, unde infamia ipsi parabatur: vereque de ipso affirmari potest, quod de Scipione Æmiliano ait Vellejus Paterculus; lib. I. cap. 12. *Nihil eum in vita nisi laudandum aut sensisse, aut dixisse, aut fecisse.* De Ulpiano & Paullo nihil addo. Vide quæ nuper annotavit Vir longe Clarissimus, Antonius Schultingius, ad Jurisprudentiam AnteJustinianeam pag. 557.

CAPUT XVI.
MORS PAPINIANI.

§. I. *Antonini & Getæ dissidia ex diversa vitiorum & virtutum indole nata. Papinianus quia in hunc pronior, à Bassiano dimissus.* II. *Occiso Geta rogatus, ut parricidium dilueret, mori maluit.* III. *Zosimi & Victoris de nece Papiniani errores dispuncti.* IV. *Tres mortis causæ à Spartiano allatæ examinantur & conjunguntur.* V. *Bodini argumenta, quibus insipienter fecisse Papinianum arguit, referuntur.* VI. *eadem confutantur. Papinianea sanctitas Senecæ & Thuani infamiæ opposita.* VII. *Rutilius, Scævola,*

la, Caſſius, Sabinus, Morus, Briſſonius, Cujacius, Hotmanus & Amerbachius cum eo comparati. VIII. *Securi percuſſus, cum gladio percutiendus eſſet, & quare? Lux l. 8. §. 1. D. de Pœnis. An gladius honeſtior, diſquiritur. Baronius notatus. Papiniani vaticinium.* IX. *Tria ejus monumenta, ut commentitia, exploduntur. Cur filius jam Quæſtor occiſus.* X. *De cognomine Jurisconſulti quædam. Quid ſit turbato ordine mortalitatis decedere. L. 40. D. de Rebus creditis l. 15. D. de Inofficioſo teſtamento & aliæ illuſtrantur.*

§. I.

VIx à lacrymis mihi tempero, cum ordo nos ad ultimam hanc rerum Papinianearum lineam vocat. Quem enim modo omnigena virtute ſplendentem vidimus Prætorii Præfectum, ad cujus nutum tremebant maximi Orbis terrarum Præſides, is nunc ſine ſuo merito lictorum & carnificum furori objectus, ſortitur exitum, qualem ſub Tyranno fortiſſimi quique habere ſolent. Nec inutile nec ingratum igitur, ut ſpero, temporibus his vectigal erit, pio ture manibus ſanctiſſimi Antiſtitis parentaſſe, ut virtutem

virtutem ex illo, fortunam ex aliis discant Juvenes, & mature constantiæ hoc exemplo sine pari instruantur. *Viri sæpe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, lætitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissimæ lectionis voluptate*, ait Cicero lib. V. Epist. 12. Nemo nescit, & refert Herodianus, Antoninum & Getam ab ineunte ætate contrariis inter se studiis dissedisse; puerili primum certamine, edendis coturnicum pugnis, & gallinaceorum conflictibus ansam præbente. Sive enim quid in scæna audirent, sive spectarent, diversis semper accedebant, committentibus etiam utrinque ipsos adulatoribus atque ministris, ut ad se quisque pro virili retraherent male concordes. Severus in commune malum certamen hoc cessurum suspectans, paternis monitis & auctoritate ad mutuum amorem germanos semper revocare conatus, etiam morbo ingravatus natu majori divinam Sallustii orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, misit, & utrumque jam moriturus Papiniano, tanquam tutori, commendavit. Hoc in Britannia extincto, reversi domum juvenes, & pari jure ad imperium evecti, licentius simultates exercere,

insidiari,

insidiari, moliri, grassari ad singulare imperium, nihilque omittere, dum consortem potestatis expungerent. Rara communiter fratrum est gratia, sed nulla re magis extinguitur, quam æmulatione accedente, quæ inter coheredes imperiorum plerumque intercedit, ut recte Poëta dixerit:

- - *Omnisque potestas,*
Impatiens consortis erit.

Testes Antiochus & Seleucus apud Justinum; Partharitus & Gundebertus apud Diaconum; testis ipsa Roma, cujus munitionem fraternus sanguis consecravit, & ut cecinit Lucanus lib. 1.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Hic qui in palatio vel militia dignitate quadam præstabant, partium alterutrius erant, & uterque magnis pollicitationibus, donis & honoribus homines sibi adjungere nitebatur. Antoninus militaris vitæ ac belli ducum videri amator affectabat, prodigus in milites: cetera furiosus, ad omnia præceps, virtutis & illustrium virorum hostis, rapax, bonis exitiosus, metu quam benevolentia sibi amicitias quærens. Geta econtrario pietate, lenitate & animi moderatione insignis, studia tractabat honestissima; & disciplinarum laude celeberrimos circa se habebat, à quibus & vicissim amabatur.

Vide Herodianum lib. IV. cap. 3. Spartianum in Caracalla & Geta; Fragmenta Peirefci à pag. 742. usque ad 761. Quid noſter Papinianus? Ut bonum decebat tutorem, utrumque monendo & orando in concordiam reducere tentavit: primus eorum, de quibus Herodianus lib. III. cap. 15. *Congreſſos reducere in gratiam mater conata, adnitentibus honeſtiſſimis quibùsque Severi amicis & Conſiliariis.* Nam diſerte Spartianus in Caracalla cap. 8. ſcribit, eum *concordiæ fratrum Antoninorum faviſſe.* Mox autem prævidens, nulla ſapientia uſum & benevolentiam utriusque retineri poſſe, quemadmodum ſemper magis addictus fuerat Getæ, rectioris indolis adoleſcenti, ſic nunc, ad patris præceptum, ejus cauſam tuebatur: alienior à Caracalla, qui totus quantus nil niſi ſtupra, inceſtus, adulteria, rapinas, latrocinia, peſtes denique & furores cogitabat; qui & hoc moleſto pædagogo ut ſe liberaret, ſimulac imperium obtinuït, in ipſa Britannia Papinianum dimiſit. Dio Caſſius lib. LXXVII. pr.

§. II. Scilicet hæc indoles, hoc ſtudium malorum eſt Principum, ut quos ob virtutem ipſi metuunt, ab aliis vero coli & amari vident, ſubvertant; quo ampliorem tyrannidis explicandæ campum nanciſcantur. Dehinc

Dehinc enim Caracalla fratrem, per aliquot menſes veneno & latentibus inſidiis fruſtra petitum, per vim & ferrum opprimere conſtituit. Nec mora. Perſuadet matri, ut ambos ad reconciliandum in cubiculum vocet, ubi Getam nihil tale expectantem atque ex matris ejulantis collo hærentem & clamantem: *Mater mater, genitrix genitrix, fer opem, occidor*, nefarium in modum trucidat, ita ut hanc quoque ſauciaret ictu levi. Statim, quanquam veſper erat, pro ſalute ſua ſingulis militibus Atticarum drachmarum duo millia ſupra quingentas pollicetur, prætereaque annonæ ſupra, quam ſueti accipere, dimidium. Mane diei ſequentis loricam ſub veſte Senatoria habens, toto exercitu comitante, contendit in Senatum, mentitur fratris inſidias, flagitium vertit ad gloriam, quaſi dignum aliquid virtute Romana feciſſet. Orationem ipſam, neſcio à quo aſſentatore aulico dictatam, habet Herodianus *lib. IV. cap. 5*. Altera die Capitolium petiit; grates certatim actæ Diis, ob demtum magno diſcrimini Principem; dona & ſupplicationes apud omnia pulvinaria decernuntur. Spartianus *Carac. cap. III.* Sed quæ conſcientiæ vis eſt! Externa hæc leves vulgi ſermones facile compeſcebant, nec quicquam erat, quod

quod culei pœnam metueret summus legum & orbis dominus: tam male autem diro hoc flagitio consultus erat Caracallæ animus, tot Furiarum stimulis noctu diuque verberabatur, ut ipsum scelus ei cederet in supplicium. De Nerone scribit Tacitus lib. XIV. Annal. cap. 12. *Sed à Cæsare perfecto demum scelere* (i. e. matre interemta) *magnitudo ejus intellecta est: reliquo noctis, modo per silentium defixus, sæpius pavore exsurgens, & mentis inops lucem operiebatur, tanquam exitium allaturam.* Pariter ille Diis nunc hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; sed fratris specie & metu semper territus, dæmonum arcana scrutatur, undique accersit magos, astrologos & aruspices; nemine prætermisso, qui hujusmodi fallacias profiteretur. Sed eos quoque suspectos habens, fraternos Manes evocari jubet; tandem, quo se verteret nescius, nefarii sceleris patronum quærit. Non defuerunt ei in palatio parasiti & mancipia ad linguæ infamiam nata, qui sine hæsitatione, quin certantes, munus hoc libenter suscepissent: verum in unius Papiniani existimatione & facundia plus fiduciæ collocabat; hunc ex vita privata revocat in aulam, vel jam revocatum rogat, ut gravi sermone apud populum & in Se-

natu

natu parricidii excuſationem ſuſcipiat, ſin ſecus certam minatur necem. Quid ille? An ſpatium deliberandi petit? cunctatur? ſuum ſuorumque diſcrimen expendit? Nihil horum. Ut nullis aulicæ ſervitutis vinculis adſtrictus, ſumma in libertate vixerat, ſic maxima παῤῥησίᾳ Imperatori reſpondet: *Non tam facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri.* Quam ſententiam, ut Bertrandus auguratur, à Pompejo Trogo apud Juſtinum lib. XVI. Hiſt. deſumſit; qui de parricidio ab Antipatro in Theſſalonicen matrem perpetrato, aurea hæc verba ſcripſit: *In parricidio nulla ſatis juſta cauſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt.* Rurſus urgente Tyranno, ut populo ſaltem perſuaderet, Getam ſuo merito propter ſtructas inſidias interemtum, hanc celſiſſimi animi vocem addidiſſe fertur: *Novum eſſe parricidium, accuſare innocenter occiſum.* Quid tum? Ducitur ad ſupplicium, occiditur & filius ejus jam Quæſtor, cæduntur ex Getæ amicis, fautoribus & miniſtris, qua in Palatio, qua in Urbe, hominum viginti millia: ne uno quidem reliquo facto, ex eo ordine hominum, qui in honore aliquo fuerant, quique ipſius parentem aut fratrem obſervarant: auctore Herodiano & Xiphilino.

 §. III.

§. III. Hæc veriſſima necis Papinianeæ cauſſa & hiſtoria videtur: alii alia referunt; ſed vaga, incerta, à fide & veritate aliena. Dio coævus veram cauſam ſcire potuit, & ſine dubio in litteras miſit; ſed Xiphilinus in excerptis lib. LXXVII. contentus eſt, interfectum narraſſe, non quare. Herodianus ne quidem Papiniani mentionem fecit, quod inter ejus nævos reputandum. Zoſimus ante Getam occiſum tradit, unicam cauſam cædis adferens, quod huic plus favit. Verba ejus ex interpretatione Leunclavii ſunt iſta, lib. I. cap. 9. *Papinianum Præfecti prætorio munere fungentem ſuſpectum Antoninus habebat, alia nulla de cauſa, quam quod Papinianus animadvertens, eum infeſto erga Getam fratrem animo eſſe; quo illi minus inſidiaretur, pro viribus impediret. Hoc igitur impedimentum è medio removere volens, Papiniano per milites necem ſtruit: ſpatiumque latum nactus, fratrem interficit, quum ne quidem mater adcurrentem ad ſe potuiſſet eripere.* Studium in Getam princeps cauſa miſſionis fuit in Britannia, & deinde acceſſoria mortis: at Papinianum poſt Getam ſuperfuiſſe, Spartianus in Caracallo tradit cap. III. *Altera die*, poſt Getam occiſum, *Capitolium petiit: & eos quos occidere parabat, affabiliter eſt allocutus, innitensque*

tensque Papiniano & Ciloni, ad Palatium rediit. Ut hoc ἁμάρτημα ceteris Zosimi erroribus annumerari possit. Pejus Victor omnem aliorum de nece Papiniani narrationem in dubium vocat, ubi cap. XX. de Cæsaribus hunc in modum scribit: *Geta, cui nomen paterno ab avo erat, cum fratris modestiore ingenio angeretur, obsessus interiit. Quæ victoria Papiniani exitio fœdior facta, ut sane putant memoriæ curiosi: quippe quem ferunt illo tempore Bassiani scrinia curavisse, monitumque, uti mos est, destinanda Romam quam celerrime componeret, dolore Getæ dixisse: Haudquaquam pari facilitate velari parricidium, qua fieret: iccirco morte affectum. Sed hæc improbe absurda sunt; cum constet satis, præfecturam prætorio gessisse: neque incondite illum virum tantam contumeliam imponere potuisse ei, qui amori ac magisterio erat.* Luxata sunt verba posteriora: ideo Casaubonus ad Spartianum pag. 723. immittit negationem, & addito nomine legit: *Neque non incondite* &c. *qui amori ac magisterio Getæ erat.* Sed nondum tolerabilem sic constitui sententiam, recte ait Gruterus, nec ego quicquam habeo, quo huic vulneri medicinam feram. Illud satis patet, Victorem, hominem Afrum, prodere studium, in filium Severi, itidem Afri.

Et ægri somnia sunt, quod cædem Getæ in Britannia perpetratam tradit: aliquot enim menses imperium cum fratre obtinuit Romæ, ubi & in palatio occisus, parente dudum consecrato. *Ambo solverunt ex Britannia, pari honore imperium gerentes, Romamque cum patris reliquiis contenderunt.* ait Herodianus lib. III. cap. 15. cui junge lib. IV. cap. 4.

§. IV. Spartianus certiora & veriora nobis promittit in vita Caracalli cap. VIII. Hunc igitur audiamus. *Scio*, inquit, *de Papiniani nece multos ita in litteras retulisse, ut cædis non sciverint causam, aliis alia referentibus: sed ego malui varietatem opinionum edere, quam de tanti viri cæde reticere. Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Severo, & , ut aliqui loquuntur, affinem etiam per secundam uxorem, memoriæ traditur: & huic præcipue utrumque filium à Severo commendatum, eumque cum Severo professum sub Scævola, & Severo in advocatione fisci successisse, atque ob hoc concordiæ fratrum Antoninorum favisse: egisse quin etiam ne occideretur, quum jam de insidiis ejus Bassianus quereretur: atque ideo una cum iis, qui fautores fuerant Getæ, à militibus, non solum permittente, verum etiam suadente Antonino, occisum. Multi dicunt, Bassianum occiso*

fratre

fratre illi mandasse, ut & in Senatu pro se & apud populum facinus dilueret; illum autem respondisse: Non tam facile parricidium excusari posse, quam fieri. *Est etiam hæc fabella, quod dictare noluerit orationem, qua invehendum erat in fratrem, ut causa ejus melior fieret, qui occiderat: illum autem negantem respondisse:* Esse parricidium aliud, accusare innocentem occisum. *Sed hoc omnino non convenit: nam neque præfectus poterat dictare orationem; & constat eum quasi fautorem Getæ occisum.* Tres videmus adferri opiniones: *prima* est, quod partium Getæ fuit, & concordiæ favit: *altera*, quod parricidium sermone ad populum diluere noluit: *tertia*, quod orationem dictare recusavit. Priori Spartianus calculum adjicit, tum in fine horum verborum, tum in vita Getæ cap. VI. Secundam fabellam vocat, quam tamen amplectitur in Severo cap. XXI. *Papinianum, quod parricidium excusare noluisset, occidit.* Tertiam hoc argumento refellere conatur, quod Præfectorum prætorii non fuit, orationes Principum formare. At o bone! Scire poteras, Principes facundos & promtos, suopte ingenio orationes composuisse; minus eloquentes amicorum opera usos. Quæstores legendis quidem, serius conficiendis oratio-

 nibus

nibus certo munere præfectos. Nero Senecæ hanc operam injunxit, Vitellius Trachalo, Trajanus Suræ, & de Maximino Herodianus lib. VII. cap. 8. *Maximinus tribunal conscendit, atque ex libello orationem ab Amicis compositam recitavit.* Ergo qui principem locum in amicitia Principis tenebant, hoc officio functi: quidni & in hoc casu tam singulari Præfectus? quidni Papinianus? *Vir* ille *Disertissimus* uti vocatur in *l. ult. C. de Institutionibus*, cujus oris flumen & fulmen in legationibus audiendis, in consiliis & publicis alloquiis, compluries innotuerat Antonino: qui & nobilem illam, de rebus eorum, qui sub tutela sunt, non alienandis, Severi orationem, quam Paullus libro singulari exposuit, dictasse videtur. Plane si auctoritatem Papiniani, tutelam, ingenium; & mores aspicimus; omnia suadent, saltem extra ordinem, hoc orandi vel dictandi munus ei obtrusum, quo nunc approbatis publice, quæ antea dissuaserat, sceleris atrocitas velaretur. Adde, quod tres illæ necis causæ commode jungi possunt: nam concordiæ fratrum cum diu frustra favisset, mox pronior fuit in Getam, dein parricidio commisso, & ore & scripto illud diluere recusavit.

§. V. Magnifici elogii materiam hinc

sibi

sibi sumsit Jacobus Lectius, Vir Cl. in gravi & honesta, de vita & scriptis Papiniani oratione. Videamus autem, ne nimium ipsi tribuerit, & ipse Papinianus prudentissimus imprudenter egerit; quod Stoica quadam pertinacia capitis supplicium sustinere, quam sceleris perpetrati excusatione, iram tyranni lenire, rempublicam, se suosque conservare maluit. Ita sane ratiocinatus est Joannes Bodinus lib. III. de Republica cap. 4. cujus verba adscribo: *Præstat quandoque aliquid indulgere, quam Reipublicæ vulnera à Principibus illata exacerbare, eosque ab insania ad furorem adigere: uti Papinianum fecisse legimus. Hunc enim ab Imperatore Severo filiorum & Imperii Romani tutorem datum, Imperator Antoninus Caracalla jussit parricidium fratris excusare: Papinianus recusavit, cum diceret:* Parricidia difficilius excusari, quam admitti. *Fortiter ille quidem magis, quam sapienter. Nam Caracalla furens ac fratris cruore nondum satiatus Papinianum occidi mandavit: ac post tanti viri occasum, qui solus hominis impetum regere, ac furentem audaciam reprimere potuisset, à cædibus & crudelitate non prius destitit, quam se ipsum cum imperio perditum iret. Quod sic à nobis dictum velim, non ut hominis divinissimi laudes egregias ulla sui parte imminuerem;*

rem: id enim fieri nullo modo poteſt; ſed ut Magiſtratus intelligant, quatenus peccata Principum, quæ auferri non poſſunt, ferre debeant. Non debuit igitur Papinianus tanto viro, id eſt ſe ipſo, Remp. orbare, ſed Principi vel potius ſuo dolori indulgendo, ſibi Rempublicam, ac ſe ipſum Reip. ſervare, fortiter quidem ac ſapienter facturus, ſi nondum parricidium eſſet commiſſum. Hactenus Bodinus. Mirum, quod colores non addidit, quibus nefaria ejusmodi ſcelera à Magiſtratibus obvelanda. Ad Baſſiani enim parricidium quod attinet, variæ occurrere videntur circumſtantiæ, è quibus aulicus gnatho & ſycophanta σωφὰ φάρμακα polliceri auderet. Poſtquam enim cædes perpetrata, ac in eum locum res deducta, uti nullis conſiliis interemtus reſtitui poſſet, quod dicere juſſus erat, cauſari potuiſſet, inſidias à fratre occiſo primum ſtructas: hanc autem non ſcriptam, ſed natam eſſe legem, ut ſi vita noſtra in vim & tela inciderit, omnis ratio honeſta ſit expediendæ ſalutis. Deinde Principem legibus ſolutum eſſe; hoc præſertim tempore, quo ipſum nomen & umbra libertatis ignorabatur. Romulum Urbis conditorem, ne quidem germanum pertuliſſe, ſuis tantum operibus illudentem. Germanicum à fratre Nerone, Lucium à

Marco

Marco ſublatum. Ut ſterilitates, imbres, fervores, & cetera naturæ mala, ſic aſperos dominantium mores ferendos eſſe patienter. Adhæc utilius videri alterum ex duobus peremtum, quam perpetua utriusque colliſione Rempublicam periclitari. Unum imperii corpus unius animo regendum; ſicuti ab uno gubernatore, una navis. Nunc ira ſemel repreſſa Principem, ad bonam frugem reverſurum. Vitia fore donec homines, eaque interventu meliorum penſari. Et præſto erat Senecæ, viri ſancti & Philoſophi exemplum, qui, ut ſalvum haberet ſuum Neronem, ſinus obliquandos putavit, nec modo auctor, ut Agrippina mater necaretur, ſed & oratione ad Senatum ſcripta parricidium magis horrendum excuſavit. Hæc ſi nondum ſufficerent, vel ſolus Reipublicæ, jamjam ſublato rectore, ad interitum proficiſcentis amor, viginti millium certa mors, quin civium ſuſpiria, liberorum fletus, amicorum lacrimæ Papinianum movere debuiſſent.

§. VI. Plane Andius ille ſine bono, in ejusmodi diſcrimine conſtitutus, rationes ſuas ita putaſſet: & quot non Chriſtiani obſequii gloriam ſibi relictam prætexere auderent? Sed aliter longe ſanctiſſimus ille artis noſtræ Antiſtes Papinianus. Quem-

admodum

admodum is ſemel animum in ea ſententia obfirmarat, Deo potius obſequendum, quam hominibus, ſic nec juſſu & imperio, nec precibus & pollicitationibus ab ea avelli potuit; ſed, ut pium decebat Aſtreæ ſacerdotem, mortem oppetere maluit, quam in tanto ſcelere defendendo maximum ſcelus ac flagitium perpetrare. Neque enim facinus illud immane inſidiis fictis, ullisve verborum lenociniis adumbrari poſſe ſciebat. Quandoquidem nihil atrocius, quam eum trucidare, quem natura parens ex eodem ſanguine & utero progenuit. Similiter ex rationis lumine hauſerat, Principes communi civium conſenſu electos, homines eſſe, legibus æternis ſubjectos: cum tyranno nullam divini humanique juris ſocietatem, omnibus jus belli eſſe, juſtiſſima naturæ lege. Jam dudum Romuli colores à poſteris deriſos: Neronis ſtatuæ adſcriptum, Tu culeum meruiſti: titulos Domitiani ubique eraſos: Commodi corpus ut unco traheretur à Senatu poſtulatum. Bonos Principes voto expetendos; ſævos ut cetera forte accidentia eſſe ferendos; ne tamen adulatio cupiditatibus fræna laxet, Rempublicam peſſundet, & nosmetipſos ſocietate facinoris obſtringat. Et quæ, ſodes, vitæ aut imperii melioris ſpes in uno, ſed

tyranno

tyranno servato? Naturam furca licet expellas, tamen usque recurrit. Ut Nero crimine diluto haud lenior factus; sic eo ingenio natum crudelem hunc Afrum noverat, ut degustato semel sanguine humano, nullam ejus satietatem percipere posset. Cras incestum defendendum, mox aliis criminibus asyla quærenda, certam sibi tamen instare necem, ut omnibus bonis. Adesse igitur tempus, quo sanctissimæ doctrinæ sanguine obsignandæ: quo Respublica, liberi, amici, fortunæ, honores, quin ipsa, qua mortalibus nihil carius esse solet, vita, præ constantiæ præmio, vilipendenda; ut posteri haberent documentum, mori decere virum bonum, quam cum conscientiæ morsu vitam transigere. Senecam utique sempiterna infamia premet, dum pietati suus constabit honos. Vivus & potens jam *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset*, ait Tacitus lib. XIV. Annalium cap. 11. & post tot sæcula Ausonius in Gratiarum actione ad Gratianum cap. XIII. *Dives Seneca arguetur rectius, quam prædicabitur; non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam.* Idem judicium metuebat noster, quando eum imitari recusabat. Nec huic tantum ethnicus ethnico, sed multis Christianis, & Viris summis,

mis, hac parte palmam præripuit Papinianus. Ipſe Jacobus Auguſtus Thuanus lib. LII. Hiſtoriarum teſtatur, patrem Chriſtophorum Thuanum, curiæ Pariſinæ Præſidem, nefandam Caroli IX. lanienam Pariſienſem, Antonini parricidio fœdiorem, *invitum excuſaſſe, & publice accomodata tempori oratione Regis prudentiam laudaſſe, quod conjuratione nefaria oppreſſa, pacem in regno conſtituiſſet.* Invitum, ait, quid ſi dignitatis, opum & vitæ, quod aberat, periculum acceſſiſſet? Nullus Thuano fuiſſet promtior, promptiſſimus autem Bodinus, magiſter fraudis & moris mali. Teneamus contra hunc, & unico Papiniani exemplo firmemus aureum illud prudentiſſimi vatis lib. III. Oda 3.

Juſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida: neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

§. VII. Si vitas Juriſconſultorum vel obiter percurrere libet, quod veriſſimum eſt cognoſcemus, hanc prope perpetuam & veterum & recentiorum fuiſſe conditionem, ut

ut quo studiosius boni viri officium persequuti, hoc plurium malorum fluctibus acerbius jactarentur. Non unus in hac classe; sed Papiniani virtus, constantia & libertatis studium inter omnes eminet, velut inter ignes Luna minores. Patescet hoc clarius, si antesignani cum eo conferantur. Primo loco producam *Publium Rutilium*, summæ innocentiæ virum, sæculi sui optimum, quem nulla unquam gratia nec injuria à virtute deflexit: adeo ut amici cujusdam injustæ rogationi cum resisteret, atque is per summam indignationem dixisset: *Quid ergo mihi opus est amicitia tua, si quod rogo non facis?* Responderet: *Immo quid mihi tua, si propter te aliquid inhoneste facturus sim?* Tanta viri erat integritas! Et tamen cum legatus Mucii Proconsulis Asiam à publicanorum injuriis defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, malitiosis accusatorum calumniis oppressus, repetundarum damnatus, & maximo cum gemitu civitatis in exilium missus est; id quod sibi innocenti gloriosum & honorificentissimum duxit. Vide Ciceronem I. de Oratore & Valerium lib. VI. cap. 4. Ovidius lib. I. de Ponto el. 3.

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati.

Infelicior legato suo fuit *Q. Mutius Scævola* Proconsul, vir non modo eloquentium Jurisconsultissimus & Jurisconsultorum eloquentissimus, sed &, ejusdem Ciceronis domestici auditoris testimonio, sanctissimus atque ornatissimus civitatis. Hic quia Marianis temporibus Syllæ favere videbatur, primum jussu C. Fimbriæ vulneratus, tum per ludibrium accusatus, quod parcius corpore telum recepisset, denique anno post vulnus acceptum quinto, ab iis, quos per compositionem servare volebat, in ipso ædis Vestalis vestibulo jugulatus est, de quo Lucanus lib. II. ℣. 216.

Te quoque neglectum violentæ Scævola dextræ
Ante ipsum penetrale Deæ, semperque calentes
Mactavere focos: parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

Nec hoc loco detestanda Neronis crudelitas præteriri debet, qui *Cassium Longinum* Jurisconsultum Celeberrimum, & scholæ Cassianæ parentem, in insulam deportavit; nullo crimine, nisi quod opibus vetustis & gravitate morum præcellebat: hoc autem prætextu accusabatur, quod majorum imaginibus interposuisset illam Caji Cassii, qui

in

in Cæſarem conjuraverat, cum ea inſcriptione *Duci partium*; ut præter Pomponium auctor eſt Tacitus lib. XVI. Annal. cap. 7. & 9. Sic & Heliogabalus, oſtentum Principis, *Sabinum* conſularem virum, quod cædem ejus tacite improbabat, occidi juſſit, & *Ulpianum* Jurisconſultum removit, *ut virum bonum*. Lampridius in Heliog. cap. XVI. Plures veterum addi poſſent, ſed propero ad recentiores, quos inter quem potius commemorem, quam *Thomam Morum*, totius Britanniæ Cancellarium, Virum ſingulari & ſanctitate & doctrina præſtantem, patriæ ſuæ decus: is quoniam divortium Henrici VIII. aliam, repudiata priore, ducere cupientis, comprobare nollet, in vincula conjectus & unice pietatis reus capitali ſupplicio affectus eſt: unde ab Joanne Rivio eleganter Papiniano aſſimilatur, lib. 2. de conſcientia pag. 38. Hunc *Jacobus Cujacius* excipiat, ſummus divini Themidos oraculi vates, vir ut profeſſione, ſic moribus juſti ac æqui obſervantiſſimus, Papiniano, ſi quis alius, comparandus. Etenim Henrico III. Gallorum Rege, ſine liberis, occiſo, cum Henricus Burbonius Regium ſibi nomen ac jus adverſus Carolum patruum vindicaret, rogatus, ut pro patruo ſcriberet, hinc præmiis, inde pericu-

lis ante oculos versantibus, respondit: *Corrumpere leges patrias falsumque committere, sibi quidem nefas videri.* Auctore Papirio Massonio in ejus vita, & Lectio discipulo in vita Papiniani. Quamobrem plebi, tanquam Catholicæ partis desertor, passim invisus, ipseque à sceleratis ad cædem se designatum sciens, parietibus inclusus, expetitam longiorem vitam, si publice prodesse potuisset, melioris longe desiderio generose abrupit, atque annos LXVIII. natus se ipsum mœrore confecit. A. C. MDXC. referente Thuano lib. 99. Histor. Acerbius fatum anno sequente, in eadem Gallia, expertus est *Barnabas Brissonius*, Curiæ Parisinæ Præses, Jurisconsultus nostra laude major. Quum enim urbs ipsa Parisiorum à Rege defecisset, is plebis efferatæ animos moderaturus, & Urbem, ut ajebat, Regi legitimo servaturus, aliorum exemplo fuga sibi consulere noluit: à factiosis igitur mane cum adiret curiam captus, in carcerem conjectus, statim ab infelici trabe laqueo suspensus, & postridie patibulo in Ripensi platea, cum infami proditionis elogio, affixus est, auctore Thuano libro 102. Scævola Sammarthano in elogiis, aliisque. Massonius eum hac propter Papiniano comparare non dubitavit:

Viderit

Viderit effigiem quisquis Briſſonius illi
Picto notus erit, Papiniane, tuus.
Si fata exitium utrique immatura dedere,
Pœnituit facti jam ſatis ipſa ſui.

Nefas ſit *Franciſci Hotmani* illuſtre nomen ſilentio hic præteriiſſe, qui infami illi Lanienæ, in provinciis etiam graſſanti, una cum Donello ereptus, cæſorum innocentiam publicis ſcriptis tueri auſus, & monentibus amicis, ab iſtiusmodi ſcriptione abſtineret, Doſchio in vita ejus teſtante, maſcule repoſuit: *Nunquam ſibi propugnatam cauſam, quæ iniqua eſſet: nunquam quæ jure & legibus niteretur deſertam, præmiorum ſpe vel metu periculi; opprimi enim in bona cauſa melius, quam male cedere. Non modo non excuſandum parricidium, ultro etiam defendendam cauſam innocentum.* Agmen claudat Bonifacius Amerbachius, Jurisconſultus eximius, & innocentiæ tam raræ, ut Molinæus in Conſil. 1. pro Duce Vil. Herm. ab Aragon. n. 126. ſcribat, nullis eum precibus aut promiſſionibus à Chriſtophoro Duce Wirtenbergenſi adigi potuiſſe, ut contra textum evidentem Novellæ 139. reſponſum daret. De ſe ipſo vero narrat, quod, quibusdam cauſſis injuſtis præfati Chriſtophori cum ſubſcribere noluiſſet, & tandem etiam Georgio patruo ejus perfidio-

fidiosissimo, suisque administris præsentibus & comminantibus, *Se mori malle quam malis causis scienter subscribere*, professus esset, in carceres conjectus fuerit, bonis & libris, nedum stipendiis debitis spoliatus: *Sit illis*, inquit, *perfidia & rapina eorum in perditionem, vindice Deo, qui me defunctæ conjugis ministerio mense captivitatis barbaricæ quinto eripuit.* Referente Henelio Otii Uratislav. cap. VI.

§. VIII. Nunc è diverticulo in viam revertentes, genus supplicii & monumenta Papiniani videamus. Refert Spartianus in extrema vita Getæ, ejus immanitatis & callidæ sævitiæ Bassianum fuisse, ut iis præcipue blandiretur, quos ad necem destinabat. Patuit id quam maxime in Papiniano & Cilone Præfectis: cum enim altera post cædem die Capitolium peteret, sacra facturus, *eos quos occidere parabat, affabiliter est alloquutus, innitensque Papiniano & Ciloni ad Palatium rediit.* Verba sunt ejusdem in Caracalla cap. III. Papinianus vero blanditiis his minime fidens, ut uxori & liberis ultimum vale diceret, ad ædes suas se contulit; inde confestim *raptus à militibus ad Palatium trahitur occidendus*, auctore eodem cap. 8. ante ora tyranni constituitur, venia promittitur, si vocem patrocinio adhiberet:

hiberet. Ille nulla pavoris ſigna vultu prodens, negat fortiter, damnatur, vincitur, ducitur ad ſupplicium, ſternitur humi, cervix ſecuri percutitur, in ejus conſpectu. Memorabile eſt quod Xiphilinus annotavit lib. 77. *Cæſi ſunt ex illuſtribus quoque multi & maxime Papinianus: cujus interfectorem increpavit, quod eum ſecuri interfeciſſet, non gladio.* Plenius Spartianus cap. 4. *In conſpectu ejus Papinianus ſecuri percuſſus eſt, & à militibus occiſus: quo facto percuſſori dixit, Gladio te exequi oportuit meum juſſum.* A militibus occiſum ait, quia hi plerumque ſub Principibus rem pœnalem adminiſtrabant. Sic *centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet*, apud Senecam: Meſſalina *ictu tribuni transfigitur* apud Tacitum: & *miles decollandi artifex* apud Suetonium. Verum quæ ratio objurgandi militem & cur potius gladio? An quia hic majore ignominia afficiebat damnatos, quam ſecuris; indeque Papinianus honeſtiori viſus interitu deceſſiſſe? An vero quod lenius gladii ſupplicium ipſi deſtinatum Caracalla ſimulavit, ad invidiam declinandam? Illud placuit Baronio *ad A.C.* 214. *pag.* 402. Hoc Caſaubono *ad Suetonii Auguſtum cap.* 15. Lipſio *ad Taciti Annal. lib. XV. cap.* 67. & Fabro *lib. I. Semeſtr. cap.* 4. Genuinam

rationem attulit Cujacius ad lib. I. Quæst. Papin. in l. 1. D. de Officio ejus cui mand. quod Caracalla vocabulo *animadvertendi* ſolo uſus erat, cum ſupplicium juberet: animadverſio autem ſpecies eſt capitalis pœna, eaque gladii tantum. Ulpianus *l.* 8. §. 1. *D. de Pœnis. Vita adimitur*, inquit, *ut puta, ſi damnatur aliquis, ut gladio in eum animadvertatur. Sed animadverti gladio oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſti, vel laqueo, vel quo alio modo.* Scipio Gentilis lib. III. de Juriſdictione cap. 2. eleganter ſuſpicatur Ulpianum ſcripſiſſe *ſi damnatur aliquis, ut animadvertatur*: nam ſi in damnatione expreſſa ſit *gladii* appellatio, quid opus fuit tam religioſe monere, non oportere alio genere, quam gladio puniri? Siquidem Principis ſententiam vel Præſidis miles mutare non auſus. Et licet plerumque, dubitationis tollendæ cauſa, genus inſtrumenti, fuſtis v. gr. vel gladius adjectus, ut idem ex vita Cypriani, ex aliis Briſſonius lib. V. de Formulis pag. 483. oſtendit: vocem tamen *animadvertere* ſimpliciter pro gladii pœna, hoc tempore uſurpatam, didici ex Tertulliano ad Scapulam cap. 4. *Nunc à Præſide Legionis & à Præſide Mauritaniæ vexatur hoc nomen, ſed GLADIO tenus, ſicut à primordio mandatum eſt ANI-*

MAD-

MADVERTI in hujusmodi. Quem locum iis quoque addi velim, quæ ſupra pro Papiniani innocentia contra Baronium diſputavimus: voce enim *primordio* ad Plautianum Chriſtianorum perſecutorem digitum intendit. Nunc amplius ſi quæras, cur Antoninus in eum animadverti, quam ſecuris pœnam ſtatui maluerit? Varie reſponderi poteſt. Primo enim collum illius gladio ſecandum videbatur, qui gladium geſtarat: pariter ac Trajanus, quum Licinio Juræ, Præfecto prætorio gladium traderet, quo eum cingi oportuit, *Accipe*, inquit, *hunc gladium, ut eo, ſi bene imperavero, pro me, ſin male, in me utaris*, apud Xiphilinum & Zonaram. Deinde ignominioſior erat bipennis, quam ut ſecundus à Principe ea necaretur: humi enim ſtratos hoſtiarum inſtar ſecuri mactabant, gladio cervicem protendentes feriebantur. Florus lib. II. cap. 5. *Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant jure agentes, nec gladio quidem, ſed ut victimas, ſecuri percuſſit.* Securi deinceps ſtante Republica plerumque animadverſum; hoc ævo gladius magis adhiberi cæpit. Inde *jus gladii* & *gladii poteſtas* pro mero imperio, & *honores juris gladii* apud Lampridium Severo cap. 49. Guntherus Ligurinus lib. III.

 Ille

Ille potens Princeps, sub quo Romana securis
Italiæ punire reos, de more vetusto
Debuit.

Antequam vero Papinianus occideretur, vates etiam fuit vindictæ à Macrino susceptæ: hic enim ejus in Præfectura prætorii successor Antoninum & vita & imperio spoliavit. Spartianus in vita Caracalli cap. VIII. *Et fertur quidem, Papinianum, quum raptus à militibus traheretur occidendus, prædivinasse, dicentem: stultissimum fore, qui in suum surrogaretur locum, nisi appetitam crudeliter præfecturam vindicaret. Quod factum est: nam Macrinus Antoninum occidit.* Scilicet morte sicca descendere non debuit tyrannus, qui Præfecturæ auctoritatem, legibus conditorem, nec Romæ solum, sed totius orbis gloriam abstulerat. Cecinit Seneca Hercule furente:

- - - *Victima haud ulla*
Potest, magisve opima mactari Jovi,
Quam Rex iniquus.

§. IX. Restat de monumentis dicamus. Utut enim ad tanti Viri memoriam nec ære nec marmore opus fuit, cujus virtutes Principum Constitutionibus nunquam perituris clauduntur; pietas tamen posterorum, ne quid ad honorem ejus deesset, tres inscriptiones finxit sequentes. Refert Josephus

ſephus de Ruſticis in vita Papiniani, Callidemum ſcripto, neſcio quo, ſimulaſſe, ſe altam ſuperbamque Jurisprudentiæ ædem ingreſſum, quæ tota porticibus & columnis ex Selenite ambiebatur, præter Romuli, Hermodori, aliorumque imagines, Jurisconſultorum etiam monumenta vidiſſe: *Præcellebat*, inquit, *reliquis Papiniani monumentum*, *inferiore parte ſolida turris de alabaſtrite*, *ſuperior de Porphyretico*, *tecto ac faſtigio exornata*, *anguſto aditu*; *intus in ſtylopide argento inciſum:*

PROH. DOLOR
PRAEFECTE. AEMILI
INSONS. FVISTI
VALE

Et paullo inferius:

VIRTVTI. HAVD. VITAM
POSTPOSVISSE. PVDET

Aliam inſcriptionem temporibus Sixti Pontificis à ruſtico quodam inventam protulit Socinus Junior ad *l.* 102. *D. de Conditionibus & demonſtrationibus*. In urna enim argentea, cineres Papiniani continente, hæc verba:

AEMILII. PAPINIANI
JVRISCONSVLTI
ET. PRAEFECTI. PRAETORIO
REQVIESCVNT. HIC. OSSA

CVI.

CVI. INFELIX. PATER
ET. MATER
SACRVM. FECERVNT
MORT. ANN. AET. XXXVI

Extat & alia Romæ in Palatio Cardinalis Genuensis, quam Gruterus è Mazochio & Metelli schedis in Opere æterno exhibet pag. 348. n. 8. hunc in modum:

AEMILIO. PAVLO. PAPINIANO
PRAEF. PRAET. IVR. CONS
QVI. VIX. ANN. XXXVI. M. IV. D. X
HOSTILIVS. PAPINIANVS
EVGENIA. GRACILIS
TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO
HEV. PARENT. INFELICISS
FILIO. OPTIMO. P. M.
FECERVNT

Harum prima ingenii lusus est, nec ab ullo pro vera venditatur: alteram subrusticam sibi videri ait Bertrandus: tertiam vero germanum Papiniani epitaphium continere, liquido affirmant Johannes Baptista Egnatius ad Spartiani Severum, Marcus Mantua in apophtegmatibus, Aldus Junior, Cotta, Rutilius, eamque sine dubitatione laudarunt Cujacius lib. VIII. Observ. cap. 23. Hotmanus, Lectius, Corasius, Mynsingerus, Strauchius, Gravina & qui non alii? Unicus Galvanus non satis ingeniose mentitum

titum impoſtorem animadvertit, in diſſert. de Uſufructu cap. 13. n. 11. quem fruſtra eo nomine refellit Ottho à Bœkeln de familiis JCtorum cap. 9. magnificum ſuum Rebhahnium forte ſequutus. Enimvero, urnam illam, ſive à Socino fictam, ſive ex patris penu depromtam, aperte adulterinam eſſe, hoc argumento oſtendo: quod cineres Papiniani damnati, aliorum cineribus mixti, vix urnæ incluſi videntur. Auctor enim eſt Herodianus lib. IV. cap. 6. *Continuo cœpti occidi domeſtici omnes fratris, atque amici, quique in ædibus habitabant, quas ille incoluerat, miniſtrique item univerſi: ſic ut ne ætati quidem infantium parceretur. Porro ipſa cadavera plauſtris omnibus per contumeliam impoſita, atque extra Urbem exportata, acervatim aut temere injecta rogis comburebantur.* Infelicium horum numero fuiſſe Papinianum diſerte memorat Spartianus in vita Caracalli cap. 4. *Papinianus ſecuri percuſſus, occiſus eſt etiam ejus juſſu Petronius, ante templum divi Pii, tractaque ſunt eorum per plateam cadavera, ſine aliqua humanitatis reverentia.* Deinde ætas ſex & triginta annorum utrumque titulum ſatis ſuſpectum reddit. Peponem enim cordis loco habere oportet, qui credat, hominem juvenem ad Præfecturam præ-

torii

torii perveniſſe, quæ ſenectutis apex. Conſilia ſenum, haſtæ juvenum laudantur, nec cadit in iſtos annos Tutoris imperii auctoritas, quæ ad jubendum & ſuadendum plurimum valet. Si verum eſt, quod ſatis probabiliter cap. 3. evicimus, regnante Pio, circa annum à nato Chriſto CXL. vitæ lucem Æmilium aſpexiſſe, omnino duobus Aſpris COSS. A. C. CCXII. occiſus, fuit ſeptuagenarius vel ſeptuagenario major. Certiſſimum porro Papinianum Severo, nondum annos triginta nato, tempore Marci, in advocatione Fiſci ſucceſſiſſe; Marcus autem jam A. C. CLXXX. Severus A. C. CCXI. ante Papinianum mortuus eſt, cum vixiſſet annos ſupra ſexaginta quinque. Et ſi vel maxime liberales demus, extremis Marci temporibus patrocinium fiſci ſuſceptum, ſequeretur tamen Papinianum, eo decedente, habuiſſe jam annos viginti, vel viginti quinque: quia Prætor minorem annis decem & ſeptem actiones privatorum poſtulare prohibuit, *l.* 1. §. 3. *D. de Poſtulando.* Deinceps qui fieri potuit, ut Papinianus hac ætate fato fungeretur, cum filium habuerit Quæſtorem, minimum, ſi leges annarias ſequaris, annos quinque & viginti natum? Metuens namque Antoninus, ne patris virtus in filio reviviſceret,
in

in capitis sui securitatem, *Filium Papiniani, qui ante triduum Quæstor opulentum munus ediderat, interemit*, auctore Spartiano in ejus vita cap. IV. Annus vigesimus quartus expletus legitima ætas Quæstoria fuit, ex decreto Mæcenatis, quod Severi tempore adhuc obtinebat *l. 2. D. de Minoribus*. Et quamvis ætatis gratia à Principibus nonnunquam facta, exigebatur tamen plena pubertas semper, id est anni octodecim, ut Cujacius docuit lib. XVII. Obs. c. 34. & vel sic mature admodum, ac vix primam lanuginem adeptus, liberis quærendis operam dedisset Papinianus.

§. X. Sed ut fabula de monumento hoc prorsus expungatur, duo capita notanda sunt, ex quibus impostor ille, Transalpinos nasum habere non putans, sua desumsit. Nomen & cognomen, pariter ac dignitatis & sapientiæ titulos mutuatus est ex l. 40. D. de Rebus creditis: *Lecta est in auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti Prætorio Jurisconsulti cautio hujusmodi*. Inde addito *Paulli*, hæc scribentis, nomine effecit:

AEMILIO. PAVLO. PAPINIANO.
PRAE. PRAET. IVR. CONS.

Jurisconsulti elogium maximo jure Paullus tribuerat Papiniano, Prudentum coryphæo: quos alibi differentiæ gratia *juris studiosos*

vocat

vocat in *l.* 1. *D. de Officio assessorum l.* 4. *de Extraordinariis cognit.* Ut Ulpianus in *l.* 9. §. 4. *D. de Pœnis.* Suetonius Nerone cap. 32. & Gellius lib. XII. cap. 13. Meminisse autem decuisset tituli hujus fabricatorem, encomium hoc à mœrore & modestia parentum prorsus esse alienum, rarissimum etiam in publicis veterum monumentis, si unicum excipias apud Gruterum n. 6. pag. 652.

L. AQVILLIVS
IVRECONSVLTI. L.
GEMELLVS

Ineptius mox ætate & parentum nominibus confictis, hos infelicissimos, filio septuagenario, si Diis placet, superstites, monumentum posuisse, fingit TURBATO ORDINE: manifesto sanctis Papiniani manibus illudens, qui ipse hoc loquendi genere usus fuerat in *l.* 15. *D. de Inofficioso testamento.* ubi hæc verba: *Nam etsi parentibus non debetur filiorum hereditas, propter votum parentum & naturalem erga filios caritatem,* turbato *tamen* ordine *mortalitatis non minus parentibus, quam liberis, pie relinqui debet.* Eleganter ait, turbari ordinem mortalitatis si is præmoritur, qui posterior in lucem venit. Pulcherrimus locus Taciti lib. XVI. Annal. cap. 11. ubi de L. Vetere, socruque ejus Sextia & Pollutia filia, uxore Plauti, eodem

eodem ferro venas abſcindentibus: *Pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens, & certatim precantes labenti animæ celerem exitum, ut relinquerent ſuperſtites & morituros. Servavitque* ordinem *fortuna, ac ſenior prius, tum cui prima ætas extinguuntur.* Auſonius in Epitaphiis Heroum carm. 7.

Præmia virtutis ſimul & pietatis adeptus,
Servato Antilochus Neſtore patre, obii.
Non hic ordo *fuit: ſed juſtius ille ſuperſtes.*

Sic pater filiæ, INVERSO MORTALITATIS ORDINE, fecit in lapide Romano apud Reineſium Cl. V. n. 35. Et pater filio OR*dine* RET*rogado* DEFUNCTO apud Gruterum pag. 436. n. 1. Hic enim naturæ ordo, hæc ſumma parentum vota, ſuperſtites liberos relinquere, & ab iisdem pie lugeri. Qua de cauſſa patre & filio commorientibus, *Hadrianus credidit patrem prius eſſe mortuum* in *l.* 9. §. 1. *D. de Rebus dubiis.* Ipſe Papinianus piam matrem ante filios ſuos mortem optare indicat, in *l.* 72. *pr. D. de Conditionibus & dem.* his verbis: *Cum tale legatum eſſet relictum Titiæ, ſi à liberis non diſceſſerit: negaverunt eam recte cavere, quia vel mortuis liberis legati conditio poſſit exiſtere. Sed diſplicuit ſententia: non enim VOTO matris opponi tam ominoſa, non interponendæ cautionis, interpretatio debuit*

buit. Rursus in *l.* 7. §. *ult. D. Si tabulæ test. nullæ ext.* ut filii superstites succedant, *naturæ simul & parentium commune VOTUM*, appellat; contra parentes ad bona liberorum ait admitti, *miserationis* ratione: sicut eorum hereditas, si liberis succedant, non euntibus ordine fatis, *luctuosa* dicitur in *l. ult. C. de Inst. & subst.* & ipsi Papiniani PARENTES hic INFELICISSIMI vocantur. *Infelices quidem, qui liberos suos ad rogum deflent*, ait Quintilianus Decl. 344. Sic Hecuba apud Euripidem Troadibus, infelicem se prædicat: & Evander de Pallante filio occiso apud Virgilium XI. Æneidos ỷ. 160.

Contra ego vivendo vici mea fata, superstes
Restarem ut genitor.

Mille tales querelæ aliæ in marmoribus litteratis apud Gruterum: *Filio dulcissimo memoriam posuerunt contra votum*, pag. 696. n. 10. *Infelicissimus pater, adflictus præposteritate naturæ, hunc filium unicum hic condidi.* pag. 684. n. 6. *Mater infelicissima contra votum pietatis posuit*, pag. 716. n. 6. Alibi, quæ liberis monumentum ponit, *sceleratam* se vocat, quasi scelere pollutam, & ideo orbatam; apud Reinesium Cl. XIII. n. 47. *Potiolana mater scelerata filio Salbio.* & apud Fabrettum c. III. n. 633. *Filiis suis fecit mater*

mater ſcelerata. His floribus non pſeudo-illud monumentum, ſed leges Papiniani ſpargendæ videbantur. Nullis ille titulis dolabra cælatis egebat, cujus memoria in bonorum animis nullo tempore eſt interitura: nec ſtatuæ ipſi ponendæ videbantur, qui ſua ſecuri in omnibus Academiis & Juſtitiæ officinis

Exegit monimentum ære perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius:
Quod nec imber edax, aut Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

CAPUT XVII.
FRAGMENTA PAPINIANI.

§. I. *Utilitas inſcriptionum contra Lauterbachium & Schilterum aſſerta.* II. *Fragmenta ex ſeptem & triginta libris Quæſtionum.* III. *Laciniæ ex novendecim libris Reſponſorum.* IV. *Centones ex duobus libris Definitionum.* V. *Capita ex libris duobus, & libro ſingulari de Adulteriis, & de officio Ædilium.* VI. *Loca, quibus Papinianus nec notato numero nec nomine librorum citatur.*

§. I.

Coronidis loco indicem fragmentorum Papiniani adjicere visum fuit. Nimirum ut, navi tempestate amissa, solatio esse solet, tabulas naufragii reliquas collegisse, & Neptuno dedicasse; sic utile pariter ac jucundum erit, centones ejus passim per Pandectas dispersos, suis quosque tractatibus & libris redditos, uno velut obtutu conspexisse. Integrum Papiniani corpus furor barbarorum, incendia, aliæque clades nobis inviderunt. Nulla enim trium Urbium, in quibus solis jus civile docebatur, mansit incolumis. Berytus terræ motu fuit absorpta: Roma à Gothis, Vandalis, Herulis vastata, & Constantinopolis barbaris patuit; ubi Zenonis etiam tempore centum & viginti librorum millia conflagrasse dicuntur. Ut adeo in lucro ponendum sit, lacinias has qualescunque superesse. Soli facem accenderem, si usum interpretandi leges per inscriptionum similitudinem multis hic inculcarem. Augustinus, Duarenus, Faber, Gothofredus, Rævardus, Russardus, Mercerius, Picenardus, Gœddeus, Noodtius & Bynkerhoekius passim hujus inventi beneficio feliciter sunt usi: atque Dædalus ille Labittus in quadruplici indicis sui usu, Wilhelmus Schmu-

Schmuckius in notis, & noviſſime Henricus Brenkmannus in eruditiſſima de Legum inſcriptionibus diſſertatione, earum utilitatem tot argumentis oſtenderunt, ut nemo non paullo humanior hac via nunc ſibi incedendum putet. Rancidam illam cantilenam, *Juſtinianum omnia ſua feciſſe*, cujus poſt Lauterbachium Exercit. I. Concluſ. 4. & Schilterum Exercitat. ad Pandectas IX. §. 8. magnos enimvero juris antiſtites, in hac luce quosdam non pudet, civis noſter Reinoldus in diſerta de inſcriptionibus Legum oratione ſatis exploſit. Plane non alio fine Imperator tam ſollicite *numeros librorum per conſequentias litterarum*, *non per ſigla manifeſtari* jubet in *l.* 2. §. 22. *C. de Vetere jure enucl.* quam ut diligente capitum ab eodem auctore profectorum conjunctione, ſenſus genuinus eruatur, antinomiæ ſolvantur, legesque fugitivæ juncturis ſuis connectantur. Ne longius eamus, ad ſummi Cujacii recitationes Juvenes noſtros ablego. Hic enim, ut primus hoc arcanum ſagaci ingenio animadvertit, ejusque ope per plurimas titulorum plagas diſperſa Africani, Scævolæ, Paulli, Ulpiani & Modeſtini membra conduxit, ſic lacerum etiam Papiniani corpus, tanquam Æſculapius diſcerptos olim Virbii artus,

 con-

concinnavit priscæque quodammodo figuræ restituit. Tam feliciter inde mentem animumque Æmilii plerumque exponit, ut ipsum sui interpretem egisse putes: quanquam nec semper usum inscriptionum satis eum assecutum, nec ubique inculcasse, non ab re desideret Jacobus Gothofredus ad l. 74. D. de Regulis Juris: ubi & octo exemplis contra Petrum Fabrum evincit, hoc subsidio neglecto ad veram speciem legum Papinianearum perveniri non posse. Ceterum indicem hunc legum in calcem rejicere maluimus, quam supra, ubi de scriptis Papiniani agebamus, singulis tractatibus singulas subjicere: metus enim erat, ne toties abrupta oratio lectorem properantem moraretur, & injucunde detineret. Quod si quis etiam, Labitti indicem satis vulgatum caussatus, chartæ parcendum fuisse existimet, is instituta collatione, multos numerorum errores hic sublatos, variasque observationes adjectas, experietur.

§. II. Ex septem & triginta libris QUÆSTIONUM desumtæ sunt leges sequentes

EX LIB. I.

Qui egit de Jurisdictione.

L. 5. de Officio Proconsulis.
L. 1. de Officio ejus cui mand. est jurisd.
L. 33. de Receptis qui arbitrium.

L. 74.

L. 74. de Diversis regulis juris.

LIB. II.

Fuit de personis, quæ conveniuntur & liti adsistunt.

L. 15. Si quis caution. in judicio sisti.
L. 38. de Pactis.
L. ult. de Transactionibus.
L. 8. de Postulando, *juncta sequente l. 5.*
L. 5. de Decurionibus.
L. ult. de His qui notantur infamia.
L. 2. de Quibus rebus ad eundem Judicem.
L. 54. de Condictione indebiti.
L. 7. de Præscriptis verbis.
L. 1. de Usuris & fructibus.
L. 35. de Administratione & periculo tut.
L. 33. de Statuliberis.
L. 115. de Verborum obligationibus.
L. 33. de Pœnis.
L. 11. ad Municipalem.
L. 13. Eodem.
L. 6. de Vacatione & excusat. munerum.

LIB. III.

Tractavit de restitutionibus in integrum & de receptis arbitris.

L. 8. de Statu hominum.
L. 48. de Negotiis gestis.
L. 30. de Minoribus.
L. 19. Ex quibus causis majores.
L. 39. de Judiciis.

L. 49. de Hereditatis petitione.
L. 16. de Compensationibus.
L. 1. de Probationibus.
L. 36. de Administratione & periculo tut.
L. 12. de Vulgari & pupillari substit.
L. 49. ad SCtum Trebellianum.
L. 18. de Novi operis nuntiatione.
L. 42. de Usurpationibus.
L. 12. de Doli mali exceptione.
L. 36. ad Legem Juliam de adulteriis.
L. 8. de Collat. *cui jungenda sequens l. 75.*
L. 75. de Diversis regulis juris.

Meminit hujus libri Ulpianus, in

L. 7. Qui satisd. cog. juncta *l. 5. de Petit. her.*
L. 21. §. 5. de Receptis.
L. 20. §. 14. de Hereditatis petitione.
L. 6. §. 4. Si servitus vind.
L. 28. Mandati.

Harmenopulus etiam lib. II. Promtuarii tit. 4.

LIB. IV.

Egit de officio Judicis.

L. 40. de Judiciis.
L. 51. de Legatis lib. 1.
L. 116. de Verborum obligationibus.

LIB. V.

De inofficiosi querela.

L. 39. de Pactis.
L. 14. de Inofficioso testamento.

L. 8.

L. 8. de Prætoriis ſtipulationibus.
L. 37. ad Legem Juliam de adulteriis.
Adducit hunc librum Ulpianus in
L. 8. de Inoff. teſt. juncta *l.* 17. *de Injuſto.*
L. 4. de His quæ ut indignis.

LIB. VI.

Fuit de petitione hereditatis & rei vindicatione.

L. 50. de Hereditatis petitione.
L. ult. Si pars hereditatis pet.
L. 62. de Rei vindicatione.
L. 55. de Condictione indebiti.
L. 2. de Uſuris.
L. 8. Ut in poſſeſſione legatorum.
L. 47. de Manumiſſis teſtamento.
Utitur hoc libro Ulpianus in
L. 14. de Publiciana in rem act.

LIB. VII.

De uſufructu & ſervitutibus.

L. 5. de Uſufructu.
L. 4. de Servitutibus.
L. 36. de Servitut. præd. urb.
L. 34. de Servitut. ruſt. præd.
L. 17. Communia prædiorum.
L. 13. Familiæ erciſcundæ.
L. 31. Eodem.
L. 28. Communi dividundo.
L. 62. de Evictionibus.
L. 7. ad Legem Falcidiam.

Lib. VIII.

Et duobus sequentibus variæ actionum species proponuntur.

L. 19. de Interrogationibus in jure fac.
L. 43. de Religiosis & sumtibus.
L. 56. de Condictione indebiti.
L. 66. Eodem.
L. 9. de Constituta pecunia.
L. 25. Eodem.
L. 1. de Præscriptis verbis.
L. 1. Qui potiores in pignore.
L. 65. de Evictionibus.
L. 81. de Jure dotium.
L. 94. de Solutionibus.
L. 78. de Furtis.
L. 10. de Sepulchro violato.

Citatur eodem libro ab Ulpiano in
L. 13. §. 1. & 2. de Rebus creditis.
L. 17. §. 2. de Præscriptis verbis.

Lib. IX.

L. 66. de Procuratoribus.
L. 50. de Peculio.
L. 7. ad SCtum Vellej. *cui junge seq. l. 53.*
L. 53. Mandati.
L. 8. Depositi.
L. 24. Eodem. *unde desumta l.* 186. *d. V. S.*
L. 81. Pro socio.
L. 11. de Legatis lib. I.
L. 47. de Fidejussoribus.

L. 79.

L. 79. de Furtis *quam explica ex l. seq.* 22.

Meminit hujus libri Ulpianus in

L. 22. de Pignoratitia act.

L. 4. §. 3. Quod cum eo qui in.

L. 3. §. fin. de Peculio.

L. 10. §. 1. de In rem verso.

L. 6. ad SCtum Vellejanum.

L. 8. §. 1. Eodem.

LIB. X.

L. 17. de Condictione furtiva.

L. 58. de Contrahenda emtione.

L. 72. Eodem, *unde lux l. 7. §. 5. de Pactis.*

L. 5. de Servis exportandis.

L. 7. Eodem. *juncta l. 6. eodem.*

L. 68. de Jure dotium. *quorsum collineat Ulpianus in l. 32. §. 27. de Donat. int. vir. & ux. vid. Cujacium lib. XI. Obs. cap. 15.*

L. 52. de Donat. inter virum.

L. 48. de Manumissis testamento.

L. 48. de Fidejussoribus.

Allegat hunc librum Ulpianus in

L. 5. §. 12. de Jure dotium.

L. 32. §. 27. de Donation. inter vir.

LIB. XI.

De dotibus & tutelis.

L. 41. de Judiciis.

L. ult. de Condictione sine causa.

L. 39. Soluto matrimonio dos.

L. 61.

L. 61. Eodem.
L. 5. Rerum amatarum.
L. 30. Eodem.
L. 5. de Confirm. tutore.
L. 13. de Tut. & curat. datis.
L. 37. de Adminiſtrat. tut.
L. 24. de Excuſationibus.
L. 50. ad SCtum Trebellianum.
L. ult. Si à parente quis manum.

Uſus hoc libro Ulpianus in

L. 7. §. 1. *Soluto matrimonio.*

Lib. XII.

De Tutelis.

L. 63. de Rei vindicatione.
L. 14. de Tutor. & curator. datis.
L. 38. de Adm. tut. *cui jungenda ſequens l. ult.*
L. ult. Rem pupilli ſalvam.
L. 10. de Suſpectis tutor. *junct.* §. 7. *Inſt. eod.*
L. 23. de liberis & poſtumis.
L. 75. de Heredibus inſtituendis.
L. 41. de Bonis libertorum.
L. 117. de Verborum obligationibus.
L. 80. de Furtis.

Idem Ulpianus hunc adducit in

L. 7. §. *pen. de Adminiſtr. tut.*
L. 8. §. 7. *de Bonorum poſſ. contra tab.*
L. 12. *de Furtis.*

Lib. XIII.

De bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas.

L. 20.

L. 20. Ex quibus causis majores.
L. ult. de Conditionibus institut.
L. 14. de Bonorum possess.
L. 21. de Legatis præstandis.
L. 11. de Carboniano Edicto.
L. pen. de Bon. possess. sec. tab.
L. 42. de Bonis libertorum.

Laudat hunc librum Ulpianus in

L. 1. §. 16. *de Collatione*. Eoque pertinere *l. ult. C. de Sententiam passis* ad l. un. C. Th. ejusdem tit. monet Jacobus Gothofredus.

LIB. XIV.

usque ad lib. XXIII. de testamentis, legatis & fideicommissis.

L. 15. de Inoff. test. *cui simil. l. 7. §. fin. Si tab.*
L. 3. Qui testamenta facere poss.
L. 34. de Testamento militis, *quæ ab aliis male Paullo adscripta, ut ex serie legum hic ostendit Cujacius.*
L. 8. ad Legem Falcidiam.
L. 12. de Carboniano edicto.
L. 43. de Bonis libertorum.
L. 12. de Castrensi peculio.

Citatur hic liber ab Ulpiano in

L. 15. §. *fin. de Testamento mil.*
L. 1. §. *pen. Si quid in fraudem patron.*
L. 3. *pr. Eodem.*

LIB.

LIB. XV.

L. 76. de Heredibus instituendis.
L. 10. de Jure codicillorum.
L. 64. de Legatis lib. 2.
L. 3. de Regula Catoniana.
L. 11. de His quæ ut indign.
L. 24. ad SCtum Trebellian.
L. 1. de Bonor. possess. furios.
L. 14. ad Municipalem.

LIB. XVI.

L. 15. de Conditionibus institut.
L. 84. de Acquirenda hereditate.
L. 26. Si quis omissa causa test.
L. 65. de Legatis lib. 2.
L. 5. de Servitute legata.
L. 12. de His quæ ut indignis.
L. 70. de Conditionibus & demonstrat.
L. 4. ad Legem Falcidiam.
L. 13. de Castrensi peculio.
Meminit hujus libri Ulpianus in
L. 1. §. 6. ad SCtum Tertyllianum.

LIB. XVII.

L. 33. de Usufr. *collata l. 66. §. 6. d. Legat. 2.*
L. 2. Quibus modis usufr. amitt.
L. 8. de Usufructu earum rerum.
L. 77. de Heredibus instituendis.
L. 66. de Legatis lib. 2.
L. 2. de Usu & usufr. leg.
L. 12. de Auro argento leg.

L. 71.

L. 71. de Conditionibus.
L. 51. ad SCtum Trebellianum.
Ex hoc itidem Ulpianus commemorat
L. 3. §. 1. Quibus modis usufr. amitt.
L. 3. §. 9. de Adimendis vel transf. leg.

LIB. XVIII.

L. 90. de Legatis lib. 1.
L. 87. Eodem *juncta sequente l. 24.*
L. 24. de His quæ ut indignis.
L. 7. de Dote prælegata.
L. 72. de Conditionibus & demonstr.
L. 99. Eodem.
L. 25. Quando dies, *unde l. 98. de Condit.*
Eundem librum laudat Ulpianus.
L. 10. pr. de Usu & habitat.

LIB. XIX.

L. 7. de Juris & facti ignorantia.
L. 35. de Testamento mil. *aliis est Paulli.*
L. 11. de Jure Codicillorum.
L. 13. Eodem.
L. 67. de Legatis lib. 2.
L. 69. Eodem.
L. 22. de Liberatione legata.
L. 73. de Conditionibus & demonstr.
L. 9. ad Legem Falcidiam.
L. 52. ad SCtum Trebellianum.
L. 54. Eodem.
L. 9. Ut in possessione legatorum.
L. 21. de Fideicommissariis libert.

Utitur

Utitur Ulpianus hoc libro in
L. 4. pr. de Usu & habitatione.
L. 14. de Legatis lib. 1. juncta l. 9. de R. Jur.
Justinianus Novella 108. respiciens ad dict. l. 54. D. ad SCtum Tert.

Lib. XX.

L. 64. de Rei vindicatione.
L. 3. de Pignoribus.
L. 3. de Usuris & fructibus. *cum §. 2. junge l. 58. §. 7. ad SCtum Treb. Cujac. lib. 12. obs.* 10.
L. 26. de Probationibus.
L. 3. Quando ex facto tutorum.
L. 70. de Legatis lib. 2.
L. 72. Eodem.
L. 10. ad Legem Falcidiam.
L. 93. Eodem.
L. 12. ad SCtum Trebellianum.
L. 53. Eodem.
L. 55. Eodem.
L. 40. de Operis libertorum.

Lib. XXI.

L. 34. de Statulibris.

Lib. XXII.

L. 12. de Jure Codicillorum.
L. 22. de Fideicommissariis libertatibus.
L. 4. Si ingenuus esse dicetur.
L. 43. de Usurpationibus.

Lib.

LIB. XXIII.

De acquirenda possessione.

L. 73. de Legatis lib. 2.
L. 44. de Acquirenda possessione.
L. 46. Eodem.
L. 44. de Usurpationibus.
L. 3. pro Legato.
L. 8. Eodem.

LIB. XXIV.

De acquirenda hereditate.

L. 42. de Judiciis.
L. 76. de Diversis regulis juris.

LIB. XXV.

De omittenda hereditate.

L. 18. de Tutelæ & rat. distrahendis.
L. 2. de Separationibus.

LIB. XXVI.

L. 1. de Distractione pignorum.
L. 47. de Acquirenda possessione.
L. 18. Quæ in fraudem creditorum.
L. 18. de Vi & vi armata.

L. IB. XXVII.

De Stipulatione.

L. 43. de Judiciis, *juncta l.* 49. §. 2. *de Fidej.*
L. 54. Mandati.
L. 6. de Servis exportandis. *juncta l.* 7. *eod.*
L. 8. Eodem.
L. 8. de Præscriptis verbis.
L. 4. de Usuris.

L. 74. de Legatis lib. 2. *juncta seq. l.* 118.
L. 118. de Verborum obligationibus.
L. 3. de Separationibus. *cum* §. *ult. junge l.* 5. *eod.*
L. 28. de Exceptione rei judicatæ.
L. 27. de Obligationibus.
L. 9. de Duobus reis stip.
L. 18. de Stipulatione servorum.
L. 49. de Fidejussoribus.
L. 14. de Castrensi peculio.
L. 218. de Verborum significat.

LIB. XXVIII.

De tollendæ obligationis modis, & stipulationibus prætoriis.

L. 3. de Condictione indebiti.
L. 66. de Evictionibus.
L. 5. de Usuris.
L. 40. Soluto matrimonio dos.
L. 8. de Tutelæ & rat. distrah.
L. 2. Ut legat. vel fideic. serv.
L. 5. Eodem.
L. 4. Ut in possessione legat.
L. 95. de Solutionibus.
L. 1. Ratam rem haberi.
L. 77. de Diversis regulis Juris.

LIB. XXIX.

L. 6. de Usuris.
L. 40. de Vulgari & pupillari substit.
L. 11. ad Legem Falcidiam.

L. 7.

L. 7. Si tabulæ testamenti nullæ.
L. penult de Suis & legit. her.
L. 27. de Donationibus.
L. 40. de Mortis causa donat.
L. 10. de Captivis & postlim.

LIB. XXX.

L. 85. de Acquirenda hereditate.
L. 12. ad Legem Falcidiam.
L. 19. de Manumissionibus.

LIB. XXXI.

De statu personarum.

L. 9. de Statu hominum.
L. 32. de Adoptionibus.
L. 11. de Captivis & postlim. reversis.
L. 78. de Diversis regulis juris.

LIB. XXXII.

De Caducis.

L. 61. de Ritu nuptiarum.
L. 13. de His quæ ut indignis.
L. 74. de Conditionibus & demonstr.
L. 79. de Regulis Juris.

LIB. XXXIII.

De Legibus caducariis.

L. 14. de His quæ ut indignis.
L. 80. de Diversis regulis juris.

LIB. XXXIV.

L. 75. de Conditionibus & demonstr.

LIB. XXXV.

L. 15. de Castrensi peculio.

LIB. XXXVI.

De Pœnis.

L. 13. de Adoptionibus.
L. 119. de Verborum obligationibus.
L. 38. ad Legem Juliam de adulteriis.
L. ult ad Legem Juliam peculatus.
L. 7. de Vacatione & excusat. muner.

LIB. XXXVII.

De fidejussoribus.

L. 19. de Dolo malo.
L. 54. ad Legem Aquiliam.
L. 41. Soluto matrimonio.
L. 13. ad Legem Falcidiam.
L. 120. de Verborum obligationibus.
L. 10. de Duobus reis.
L. 50. de Fidejussoribus.

§. III. Ex novendecim RESPONSORUM libris laciniæ petitæ sunt, quæ sequuntur:

EX LIB. I.

Quo egit de jurisdictione & Magistratibus municipalibus.

L. 20. de Officio Præsidis.
L. ult. de Officio Assessorum, *quæ desumta ex tit. de admin. rer. ad civit. pertinentium.*
L. 14. de In jus vocando.
L. 40. de Pactis.
L. 9. de Postulando.

L. 20. de His qui notantur infamia.
L. 17. de Compenſationibus.
L. 55. Mandati.
L. 1. de Jure aureorum annulorum.
L. 81. de Furtis.
L. 1. de Crimine ſtellionatus.
L. 12. ad Municipalem.
L. 15. Eodem, *unde lux Marciano in l. 1. §. 4. ad SCtum Turpill.*
L. 17. Eodem.
L. 6. de Decurionibus.
L. 8. de Vacatione & excuſat. mun. *quorſum collineat Gordianus in l. un. C. de Vacat. publ. mun.*
L. 7. de Legationibus.
L. 13. Eodem.
L. 3. de Adminiſtratione rer. ad civ.

LIB. II.

Expoſuit quæ ad hereditatum petitiones ac diviſiones pertinent.

L. 67. de Procuratoribus.
L. 31. de Negotiis geſtis.
L. 42. de Receptis.
L. 44. de Judiciis.
L. 16. de Inofficioſo teſtamento.
L. 51. de Hereditatis petit.
L. 48. de Rei vindicatione *juncta ſequ. l. 65.*
L. 65. Eodem.
L. 4. de Servitutibus præd. ruſt.

L. 11. Finium regundorum.
L. 32. Familiæ erciſcundæ.
L. 57. Eodem.
L. 2. de Diſtractione pign.
L. 7. de Uſuris.
L. 20. de Tutelæ & rat. diſtr.
L. 6. de Fidejuſſoribus tut.
L. 20. ad SCtum Silanianum.
L. 41. de Mortis cauſa donat.
L. 22. de Appellationibus.
L. 219. de Verborum ſignif.
Ulpianus libri hujus meminit
L. 7. §. 10. D. de Minoribus.
L. 20. Eodem.
L. 8. §. 3. & 14. de Inofficioſo teſt.
L. 25. de Adminiſtrat. tut. quæ deſumta ex tit. de in integrum reſtitut.

LIB. III.

De Contractibus.

L. 68. de Procuratoribus.
L. 32. de Negot. geſtis *collata l. 7. de Pign.*
L. 45. de Judiciis.
L. 17. de Religioſis & ſumt. fun.
L. 57. de Condictione ind.
L. 40. de Pignoratitia act.
L. penult. Eodem.
L. 19. de Inſtitoria act. *juncta l. 10. §. 5. Mand.*
L. 27. ad SCtum Vellejanum.

L. 18. de Compensationibus.
L. 25. Depositi. *vide Hotm. l. 4. Obs. c. 10.*
L. 7. Mandati.
L. 56. Eodem: §. 1. *similis est sequens l. 81. de Reg. Jur. cum* §. 3. *jungenda l. 17. C. Eodem.*
L. 82. Pro socio.
L. 73. de Contrahenda emt. *quorsum collineat* §. 8. *Inst. de Rer. divis.*
L. 20. de In diem addict.
L. 18. de Periculo & comm.
L. 41. de Actionibus emt.
L. 2. de Pignoribus.
L. 2. Qui potiores in pignore.
L. 3. de Distractione pign. *à Labitto omissa.*
L. 4. de Nautico fœnore.
L. 15. de Fundo dotali.
L. 7. de Fidejuss. tut. *unde desumta l. ult. C. de Constit. pec.*
L. 28. de Donationibus.
L. 51. de Fidejussoribus *ex cujus* §. 4. *est l.* 116. §. 1. *de Reg. Jur. & l. ult. C. de Restit. in int.*
L. 27. de Novationibus.
L. 36. de Jure fisci.
L. 18. de Reg. juris, *quæ ex l. 56. §. 1. Mand.*
Utitur Ulpianus & Marcianus hoc libro in
L. 10. §. 4. 5. 6. *Mandati.*

L. 52. §. 6. Pro socio.
L. 4. §. 2. de Lege commiss.
L. 1. de Servis export.
L. 13. §. 25. de Actionibus emti.
L. 12. §. 6. Qui potiores in pign.
L. 4. §. 1. de Evictionibus.
L. 113. §. fin. de Legatis lib. 1.

LIB. IV.

L. 9. de Senatoribus *cui adde l. 34. §. ult. de Ritu nupt.*
L. 4. de Officio assess. *juncta l. 21. §. f. Locat.*
L. 54. de Ædilitio edicto.
L. 15. de Ritu nupt.
L. 34. Eodem.
L. 62. Eodem.
L. 31. de Jure dotium.
L. 69. Eodem.
L. 26. de Pactis dotalibus.
L. 53. de Donationibus int. vir.
L. 42. Soluto matrimonio.
L. 27. Rerum amotarum.
L. 26. de Testament. tut.
L. 28. Eodem.
L. 44. ad Legem Juliam de adult.
Laudat hunc librum Ulpianus
L. 15. §. 4. Locati.
L. 19. §. fin. Eodem.
L. 21. pr. de Donationibus int. vir.
L. 32. §. 16. Eodem, juncta l. 9. de Sponsalibus.

LIB.

LIB. V.

De Tutelis.

L. 6. de Confirm. tut.
L. 39. de Admin. & peric. tut. *ex cujus* §. *2. desumta l. 20. C. de Negot. gest.*
L. 5. Quando ex facto tut.
L. 11. de Suspectis tut. *quo collineat* §. 7. *Inst. eodem.*
L. 28. de Excusationibus.
L. 30. Eodem, *juncta l. 11. §. 2. de Minoribus.*
L. 14. de Curator. furios.
L. 17. de Injusto rupto irrito.
L. 22. de Legatis præst.
L. 9. de Collationibus.
L. 5. de Dotis collatione.
L. 41. de Operis libert.
L. 25. Qui & à quibus manum. lib.
L. 5. de Muneribus & hon.

Citatur Papinianus à Paullo, Ulpiano & Justiniano in

L. 60. §. 4. de Ritu nupt.
L. 5. §. 8. de Administrat. & peric. tut.
L. 13. §. 1. de Rebus eorum comprobata *in l. 14. C. de Prædiis minor.*
§. 2. Inst. de Excusat. tut.

LIB. VI.

De Testamentis.

L. 10. de Juris & facti ign.
L. 35. de Ritu nuptiarum.

L. 40. de Adminiftr. & peric. tut.
L. 4. de His quæ in teft. del.
L. 70. de Heredibus inftit.
L. 78. Eodem: *cujus commentarius eft in l. 35. eodem.*
L. 80. Eodem.
L. 7. de Vulgari & pupill. fubftit.
L. 15. Eodem.
L. 23. Eodem.
L. 41. Eodem *juncta l. 47. Dig. & §. 3. Inft. eodem.*
L. 24. de Conditionibus inftitut.
L. 12. de Teftamento militis.
L. 27. Eodem.
L. 36. Eodem.
L. 43. Eodem.
L. 86. de Adquirenda hered.
L. 27. Si quis omiff. cauf. teft.
L. 4. de SCto Silaniano.
L. 21. Eodem.
L. 75. de Legatis lib. 2. *confer l. 49. de Manum teft.*
L. 22. de Adimendis vel transf. *juncta l. 36. §. 3. de Teft. milit.*
L. 15. de His quæ ut indignis.
L. 76. de Conditionibus & dem.
L. 6. de Dotis collat.
L. pen. Si tabulæ teft. nullæ ext.
L. 9. Unde cognati.

L. 2.

L. 2. de Successorio edicto.
L. 49. de Manum. testam. *male Labittus l.* 46. *Laudat hunc librum Marcianus in L.* 18. §. 10. *de Jure fisci.*

LIB. VII.

De Legatis & fideicommissis.

L. 57. de Usufructu.
L. 11. Usufructuarius quemadm. cav.
L. 33. Familiæ erciscundæ.
L. 8. de Usuris.
L. 41. de Administrat. & peric. tut.
L. 5. de Jure codicillorum.
L. 76. de Legatis lib. 2.
L. 91. de Legatis lib. 3.
L. 9. de Annuis legatis.
L. 24. de Usu & usufr. leg.
L. 6. de Servitute leg.
L. 8. de Dote præleg.
L. 2. de Instructo & instr. leg.
L. 19. de Peculio leg.
L. 9. de Supellectile leg. *locus Homeri in* §. 1. *est lib.* 23. *Odyss.* ℣. 190.
L. 8. de Aliment. vel cib. leg.
L. 23. de Liberat. leg.
L. 23. de Adimendis vel transf. leg.
L. 1. de Rebus dubiis.
L. 77. de Cond. & dem. *ex princ. Marcianus desumsit l.* 18. §. 1. *de Condit. inst. cum* §. *ult. junge l.* 2. *C. Ut in poss. leg.*

L. 100.

L. 100. Eodem.
L. 56. ad SCtum Trebell.
Adducitur hic liber ab Ulpiano in
L. 10. §. 1. *de Usu & habitat.*
L. 12. §. 23. 45. 47. *de Instruct. vel instr. cum* §. 46. *junge l. 9. pr. D. de supell. leg.*

LIB. VIII.

Rursus de legatis & fideicommissis
L. 34. Familiæ erciscundæ.
L. 54. de Donationibus inter virum.
L. 71. de Legatis lib. 2.
L. 77. Eodem: *cujus* §. 4. *ad testimonium vocat Ulp. l.* 17. §. 6. *ad SCt. Treb. cum* §. 12. *conferatur* §. 34. *Inst. de Legatis* §. *finali similis est l. pen. C. de Instit. & substit.*
L. 10. de Annuis leg.
L. 25. de Usu & usufr. leg.
L. 9. de Dote prælegata.
L. 3. de Instructo & instr. leg.
L. 9. de Alimentis leg.
L. 24. de Liberat. leg. *cum* §. 1. *conjunge l.* 3. §. *f. de Instr. vel instr. leg.*
L. 24. de Adimendis leg.
L. 16. de His quæ ut indignis.
L. 93. de Conditionibus & dem. *male Labitt. l.* 63.
L. 101. Eodem.
L. 5. ad Legem Falcidiam: *juncto* §. 14. *Inst.*

Inst. de Legatis & l. 82. pr. de Legatis lib. 2.

L. 57. ad SCtum Treb.

Ab Ulpiano hic liber allegatur in

L. 17. §. 4. 6. *ad SCtum Treb.*

LIB. IX.

Iterum de Legatis & fideicommissis

L. 31. de Minoribus.

L. 58. de Condictione indebiti.

L. 3. de Probationibus.

L. 58. de Legatis lib. 1.

L. 61. Eodem.

L. 78. de Legatis lib. 2.

L. 10. de Alimentis & cib. leg.

L. 25. de Adimendis vel transfer. leg.

L. 2. de Rebus dubiis.

L. 78. de Conditionibus & dem.

L. 102. Eodem; *laudata à Justiniano in l. 30. C. de Fideicom. & extensa in l. 6. C. de Institut.*

L. 14. ad Legem Falcidiam.

L. 58. ad SCtum Trebell. *cum* §. 7. *junge l.* 3. §. 2. *de Usuris.*

L. 26. Quando dies legat. cedat.

L. 42. de Operis libert.

L. 50. de Manumissis test.

L. 23. de Fideicommissariis libert. *cum* §. *ult. junge l. 78. de Cond. & dem.*

L. 35. de Statuliberis.

L. 8.

L. 8. Qui sine manumiss. ad libert. *juncta l. 1. C. si mancip. ita fuerit alien. & l. 122. §. 2. D. de Verb. obligat.*
L. 35. de Liberali causa.
L. 82. de Regulis juris: *male Labittus l. 28. eadem repetita extat in l. 29. de Donat. Citatur Papinianus eodem libro in*
L. 92. de Conditionibus & demonstrat.

LIB. X.

L. 8. de Pactis.
L. 33. de Negotiis gestis.
L. 57. Mandati.
L. 1. In quibus caus. tac. pignus.
L. 67. de Evictionibus.
L. 87. de Acquirenda hered.
L. 29. de Donationibus: *aliis est ex lib. XII. sed rectius refertur ad lib. IX. ob l. 82. de Reg. Jur.*
L. 20. de Manumissionibus.
L. 5. Si ingenuus esse dicatur.
L. 48. de Acquirenda possessione.
L. 45. de Usurpationibus.
L. 12. Pro emtore.
L. 40. de Re judicata.
L. 37. de Rebus auct. jud. possid.
L. 19. de Jure fisci.
L. 37. Eodem: *male Labittus l. 39.*

LIB. XI.

L. 41. de Pactis.

L. 19.

L. 19. de Compenſationibus.
L. 53. Locati: *male Labittus l.* 33.
L. 9. de Præſcriptis verbis.
L. 1. de Pignoribus.
L. 3. Qui potiores in pign. *quam perfectius refert Marcianus in l.* 12. §. 5. *eodem.*
L. 4. de Diſtractione pignorum.
L. 1. Quibus modis pignus vel hypoth.
L. 68. de Evictionibus.
L. 9. de Uſuris *juncta l.* 13. §. 25. *de Act. emt.*
L. 79. de Legatis lib. 2.
L. 8. de Dotis collat.
L. 19. Quæ in fraud. cred.
L. 29. de Exceptione rei jud.
L. 121. de Verborum oblig.
L. 11. de Duobus reis *juncta Nov.* 4.
L. 52. de Fidejuſſoribus: *cujus* §. *ult. per L. ult. C. eodem ſublatus.*
L. 96. de Solutionibus.
L. 2. Rem ratam haberi.
L. 20. de Jure fiſci.

Producunt hunc librum Marcianus & Ulpianus in

L. 11. §. 2. *de Pignoribus.*
L. 12. §. 5. *Qui potiores in pign.*
L. 41. §. 5. *de Legatis lib.* 1.
L. 18. §. 10. *de Jure fiſci.*

LIB. XII.

L. 35. Familiæ erciſc.

L. 55.

L. 55. de Ædilitio edicto.
L. ult. de Suis & legit. hered. *Confer l.* 35. §. 1. *C. de Inoff. test. & Paul. lib. IV. Sent. tit.* 5. §. 8.
L. 31. de Donationibus §. 1. *sententiam expressit Paullus l. V. sent. tit.* 11. §. 1. *cum* §. *ult. junge l.* 15. *D. eodem.*
L. 36. de Liberali causa.
L. 4. de Separationibus.
L. 3. Ratam rem haberi.

LIB. XIII.

L. 20. de Compensationibus.
L. 17. de His quæ ut indignis.
L. 15. ad Legem Falcidiam.
L. ult. de Obsequiis parentibus & patronis.
L. 8. de Publicanis & vect.
L. 42. de Mortis causa donat.
L. 21. de Manumissionibus: *male Labittus l.* 24.
L. 10. de Diversis temporal. præscr.
L. 8. ad Legem Juliam maj. *quæ repetitur can. Certis c.* 15. *qu.* 3.
L. 12. ad L. Corneliam de falsis.
L. 38. de Jure fisci.

LIB. XIV.

L. ult. de His quæ ut indignis.
L. 11. de Assignatione libert.
L. 3. de Manumiss. quæ serv. ad univ.
L. 51. de Manumissis testam.

L. 2.

L. 2. Ne de ſtatu defunctorum.
L. 13. Ex quibus cauſis in poſſ.

LIB. XV.

De variis criminibus.

L. 29. de Teſtamentaria tut..
L. ult. Si quis aliquem teſt. proh.
L. 18. de His quæ ut ind.
L. 23. de Manumiſſion. *Rectius Baſilica hanc l. tribuunt Paullo, & hic eſt ordo Pandectarum, ut definitiones Reſponſa ſequantur. Vide Cujacii recitat. ad d. l.* 18. §. *ult.*
L. 2. de Jure aur. annul.
L. 53. de Fidejuſſoribus.
L. 13. de Publicis judiciis.
L. 21. de Accuſationibus.
L. 39. ad L. Juliam de adult. *Ad cujus* §. 6. *tendit quod Marcianus ſcribit in l.* 1. §. 10. *D. ad SCtum Turpil. verſu Atquin: Et rurſus quod in* §. 7. *eſt idem habet, in l.* 7. §. 1. *eodem.*
L. 13. ad Legem Corneliam de falſis.
L. 9. de Lege Julia repet.
L. 4. ad SCtum Turpil. *juncta l.* 1. §. 10. *Eod. Adde Fragmentum in Collat. LL. Moſaic. tit. IV. cujus inſcriptio: Papin. lib. XV. Reſp. ſub titulo ad Legem Juliam de adult.*

LIB. XVI.

De reis capitalium criminum.

L. 2. de Veteranis & milit. ſucceſſ.

L. 14. de Publicis judiciis.
L. 22. de Accusation. *juncta l. 3. de Re milit.*
L. 17. de Quæstionibus.
L. 34. de Pœnis.
L. 3. de Sententiam passis.
L. 39. de Jure fisci.

Commemorat Marcianus in

L. 1. §. ult. de Requirendis reis.
L. 3. pr. de Bonis eorum.

LIB. XVII.

L. 42. de Pactis.

LIB. XVIII.

Sors hujus deflenda, quia nihil supereſt.

LIB. XIX.

L. 3. de Lege Rhodia.
L. 43. de Operis libertorum.
L. 23. de Appellationibus.
L. 15. de Re militari.
L. 16. de Castrensi peculio.
L. 5. de Censibus.

§. IV. Ex libris duobus DEFINITIONUM, in quibus de variis juris quæstionibus disseruit, hæ sumtæ sunt:

LIB. I.

L. 1. de Legibus.
L. 5. de Transactionibus.
L. 37. de Reb. cred. *juncta l. 100. de Verb. obl.*
L. 39. Eodem.
L. 74. de Contrahenda emtione.

L. 8.

L. 8. de Juris & facti ignor.
L. 63. de Ritu nupt.
L. 27. de Pactis dotalibus.
L. 42. de Administ. & per. tut. *cui jungenda seq. l.* 21.
L. 21. de Tutelæ & rat. distr.
L. 1. de Injusto rupto.
L. 34. de Heredibus instituendis.
L. 79. Eodem. *Labittus* 76.
L. 42. de Vulgari & pupillari subst.
L. 80. de Legatis lib. 2.
L. 79. de Conditionibus & demonstr.
L. 28. de Obligationibus & act. *Labittus* 82.
L. 123. de Verborum oblig. *à Labitto omissa.*

LIB. II.

L. 7. de Justitia & jure. *Rectius cum vulgata ad lib.* 1. *retulit Cujacius.*
L. pen. de Usufructu accresc.
L. 59. de Condict. indeb.
L. 6. Quando ex facto tut.
L. 22. de Manumiss.
L. 36. de Statuliberis.
L. 45. de Acquirenda possess.
L. 49. Eodem.
L. 11. de Diversis temp. præscr.
L. 124. de Verborum obligat.
L. 28. de Novationibus.
L. 79. de Solutionibus.
L. 10. de Publicis judiciis.

L. 41. de Pœnis.
L. 17. de Castrensi peculio.
L. 83. de Regulis juris.
Titulo II. Collationis LL. Mosaic. etiam est fragmentum ex hoc libro cum adjectione: sub titulo de judicatis.

§. V. Ex libris duobus de ADULTERIIS, in quibus omnia legis Juliæ capita explicuit, leges sunt descriptæ sequentes:

LIB. I.

L. 13. de Testibus.
L. 12. de Fundo dotali.
L. 7. de Divortiis & repud.
L. 41. de Solutionibus.
L. 2. de Accusationibus.
L. 2. de Custodia & exhib. reor.
L. 6. ad L. Juliam de adult. *Ad* §. 1. *collineat Hieronymus Epist. ad Oceanum & Modestinus l.* 101. *de Verb. sign.*
L. 20. Eodem.
L. 22. Eodem.

LIB. II.

L. 9. de Calumniatoribus.
L. 8. de Divortiis.
L. 8. ad Legem Juliam de adult.
L. 10. Eodem.
L. 8. ad SCtum Turpill.
L. 10. Eodem: *à Labitto omissæ.*
L. 6. de Quæstionibus.

L. 4. de Bonis damnatorum.

Meminit Marcianus in

L. 57. de Ritu nuptiarum.

L. 7. §. 1. ad Legem Juliam de adult.

Ex libro Singulari de ADULTERIIS, quo de exercitione publici hujus judicii egit, excerptæ sunt:

L. 14. de Testibus.

L. 11. ad Legem Juliam de Adult.

L. 11. ad SCtum Turpillianum.

Quinque ex hoc libro capita sunt in Collatione Legum Mosaic. tit. 4.

Ex libro singulari ἀστυνομικῷ Græce conscripto, de officio Ædilium municipalium, unicum superest caput, in

L. un. de Via publica & si quid in ea.

§. VI. His locis Papinianus nec notato numero nec nomine librorum citatur

in Pandectis.

L. 7. §. 5. de Pactis.

L. 9. §. 4. de Minoribus.

L. 23. §. 2. Ex quibus caus. maj.

L. 8. §. 5. 8. de Inofficioso test.

L. 13. §. 5. 6. de Hereditatis petit.

L. 3. §. 2. Quibus modis usufr. amitt.

L. 18. §. 9. Familiæ erciscundæ. [l. 18 d. de Servitut.

L. 20. pr. Eodem.

L. 22. §. ult. Eodem.

L. 24. Eodem.

L. 6. §. 2. Communi dividundo.
L. 6. pr. de Religiosis & sumt. fun.
L. 40. de Rebus creditis.
L. 7. de In litem jurando *pertinet ad tit. de Procuratoribus.*
L. 19. §. 1. de Peculio.
L. 10. §. 3. Mandati.
L. 12. §. 8. Eodem.
L. 12. pr. de Distractione pignorum.
L. 9. de Sponsalibus.
L. 1. de Pactis dotalibus.
L. 7. §. 8. de Donationibus inter virum.
L. 23. Eodem.
L. 4. §. 2. de Suspectis tutoribus.
L. 1. §. 1. de Tutelæ & rat. distr.
L. 35. de Heredibus instituendis.
L. 18. de Conditionibus institut.
L. 20. §. 4. de Acquirenda hered.
L. 97. Eodem.
L. 15. pr. ad SCtum Silanianum.
L. 34. §. 5. de Legatis lib. 1.
L. 43. ad SCtum Trebellianum.
L. 15. §. 1. de Operis libertorum.
L. 1. in fin. de Libertis univers.
L. 14. §. 5. de Furtis.
L. 15. §. 29. de Injuriis.
L. 1. §. 4. ad SCtum Turpilianum.
L. 4. de Quæstionibus.
L. 10. §. 3. de Appellationibus.

L. 28. de Jure fiſci.
L. 50. Eodem.
L. 2. §. 2. de Decurionibus.

In Codice.

L. 10. de Condictione indeb.
L. 22. §. 3. de Furtis & ſervo corr.
L. 6. de Inſtitut. & ſubſtitut.
L. 9. Eodem.
L. 10. pr. de Adoptionibus.
L. 13. de Sententiam paſſis.

ex Quæſtionibus.

L. 14. C. de Sententiis & interlocut.

ex Reſponſis.

L. 35. §. 1. C. de Inofficioſo teſt.
L. 8. C. de Inſtitut. & ſubſtit.
L. 16. C. de Fideicommiſſis.
L. 30. C. Eodem.
L. 3. C. de Acquirenda poſſeſſione.
L. 12. C. de Legatis.
L. 14. C. de Prædiis & aliis Rebus.

In Inſtitutionibus.

§. 2. de Excuſatione tutorum.
§. 7. de Suſpectis tut.
§. 8. de Rerum diviſione.
§. 4. de Uſucapionibus.
§. 5. de Teſtamentis ord.
§. 14. de Legatis.
§. 7. de Fideicommiſſ. hered.
§. 1. de Codicillis.

INDEX
VERBORUM, RERUM, LEGUM ET AUCTORUM.

A.

A*Ccursii* metachronismus. 27
Adoptantes parturitionem simularunt. 304
Adoptio imago naturæ. 101
- - commentum & ludibrium. 103
Adulterium differt à stupro. 49. ejus etymologia. 152. cur tantum in nuptam committitur. 251. cur in uxore gravius punitur. 252
Advocatorum corpus seminarium dignitatum. 307
Advocatus Fisci quando institutus. 310
- - ejus officium auspicium honorum. 309
Ædiles municipales curatores viarum. 257
Ænigmata Pap. 65
Ætas ædificiorum quid sit 60
Agoranomi differunt ab Astynomis. 254
Alfenus cur durius reprehensus. 344
Amerbachii integritas. 389
Anaphora. 62
Animadversio pro gladii pœna. 392

Antio-



Antiochiæ nomen multis commune. 119
- - Syriæ metropolis. 120. à Severo mulctata. 122. colonia facta. 123
Appellatio & nomen differunt. 153
Argumentum à contrario. 139
Assessores cur olim necessarii. 323. vocantur juris studiosi. 324. præfecti prætorio facti. 325
Assessoriorum libri. 236. 324
Astynomi sunt Ædiles municipales. 253
Auctoritas Papiniani quanta. 265. 279
Auditorium locus juridicundo. 321
- - - Papiniani idem quod Severi. 322
Augustinus Pater illustratus. 116. 350
Ἀυτοχειρία impunita. 158

B.

Baronius Papinianum temeratæ religionis Christianæ arguit inique. 361
- - - - - notatus. 391
Bartoli prærogativa. 284. elogia. 27
idem reprehensus. 27. 223. 321
Basilica illustrantur. 346. 348.
Beneventum non est patria Papiniani. 2
Bertrandi errores. 9. 36. 248. 256. 272
Bestius 348
Bodini censura refellitur. 397
Boldonii inscitia. 11

L. 8. Qui sine manumiss. ad libert. *juncta l. 1. C. si mancip. ita fuerit alien. & l. 122. §. 2. D. de Verb. obligat.*
L. 35. de Liberali causa.
L. 82. de Regulis juris: *male Labittus l. 28. eadem repetita extat in l. 29. de Donat. Citatur Papinianus eodem libro in*
L. 92. de Conditionibus & demonstrat.

LIB. X.

L. 8. de Pactis.
L. 33. de Negotiis gestis.
L. 57. Mandati.
L. 1. In quibus caus. tac. pignus.
L. 67. de Evictionibus.
L. 87. de Acquirenda hered.
L. 29. de Donationibus: *aliis est ex lib. XII. sed rectius refertur ad lib. IX. ob l. 82. de Reg. Jur.*
L. 20. de Manumissionibus.
L. 5. Si ingenuus esse dicatur.
L. 48. de Acquirenda possessione.
L. 45. de Usurpationibus.
L. 12. Pro emtore.
L. 40. de Re judicata.
L. 37. de Rebus auct. jud. possid.
L. 19. de Jure fisci.
L. 37. Eodem: *male Labittus l. 39.*

LIB. XI.

L. 41. de Pactis.

L. 19.

L. 19. de Compensationibus.
L. 53. Locati: *male Labittus l.* 33.
L. 9. de Præscriptis verbis.
L. 1. de Pignoribus.
L. 3. Qui potiores in pign. *quam perfectius refert Marcianus in l.* 12. §. 5. *eodem.*
L. 4. de Distractione pignorum.
L. 1. Quibus modis pignus vel hypoth.
L. 68. de Evictionibus.
L. 9. de Usuris *juncta l.* 13. §. 25. *de Act. emt.*
L. 79. de Legatis lib. 2.
L. 8. de Dotis collat.
L. 19. Quæ in fraud. cred.
L. 29. de Exceptione rei jud.
L. 121. de Verborum oblig.
L. 11. de Duobus reis *juncta Nov.* 4.
L. 52. de Fidejussoribus: *cujus* §. *ult. per L. ult. C. eodem sublatus.*
L. 96. de Solutionibus.
L. 2. Rem ratam haberi.
L. 20. de Jure fisci.

Producunt hunc librum Marcianus & Ulpianus in

L. 11. §. 2. *de Pignoribus.*
L. 12. §. 5. *Qui potiores in pign.*
L. 41. §. 5. *de Legatis lib.* 1.
L. 18. §. 10. *de Jure fisci.*

LIB. XII.

L. 35. Familiæ ercisc.

L. 55.

L. 55. de Ædilitio edicto.
L. ult. de Suis & legit. hered. *Confer l.* 35. §. 1. *C. de Inoff. test. & Paul. lib. IV. Sent. tit.* 5. §. 8.
L. 31. de Donationibus §. 1. *sententiam expressit Paullus l. V. sent. tit.* 11. §. 1. *cum* §. *ult. junge l.* 15. *D. eodem.*
L. 36. de Liberali causa.
L. 4. de Separationibus.
L. 3. Ratam rem haberi.

LIB. XIII.

L. 20. de Compensationibus.
L. 17. de His quæ ut indignis.
L. 15. ad Legem Falcidiam.
L. ult. de Obsequiis parentibus & patronis.
L. 8. de Publicanis & vect.
L. 42. de Mortis causa donat.
L. 21. de Manumissionibus: *male Labittus l.* 24.
L. 10. de Diversis temporal. præscr.
L. 8. ad Legem Juliam maj. *quæ repetitur can. Certis c.* 15. *qu.* 3.
L. 12. ad L. Corneliam de falsis.
L. 38. de Jure fisci.

LIB. XIV.

L. ult. de His quæ ut indignis.
L. 11. de Assignatione libert.
L. 3. de Manumiss. quæ serv. ad univ.
L. 51. de Manumissis testam.

L. 2.

L. 2. Ne de ſtatu defunctorum.
L. 13. Ex quibus cauſis in poſſ.

LIB. XV.

De variis criminibus.

L. 29. de Teſtamentaria tut.
L. ult. Si quis aliquem teſt. proh.
L. 18. de His quæ ut ind.
L. 23. de Manumiſſion. *Rectius Baſilica hanc l. tribuunt Paullo, & hic eſt ordo Pandectarum, ut definitiones Reſponſa ſequantur. Vide Cujacii recitat. ad d. l.* 18. §. *ult.*
L. 2. de Jure aur. annul.
L. 53. de Fidejuſſoribus.
L. 13. de Publicis judiciis.
L. 21. de Accuſationibus.
L. 39. ad L. Juliam de adult. *Ad cujus* §. 6. *tendit quod Marcianus ſcribit in l.* 1. §. 10. *D. ad SCtum Turpil. verſu Atquin: Et rurſus quod in* §. 7. *eſt idem habet, in l.* 7. §. 1. *eodem.*
L. 13. ad Legem Corneliam de falſis.
L. 9. de Lege Julia repet.
L. 4. ad SCtum Turpil. *juncta l.* 1. §. 10. *Eod. Adde Fragmentum in Collat. LL. Moſaic. tit. IV. cujus inſcriptio: Papin. lib. XV. Reſp. ſub titulo ad Legem Juliam de adult.*

LIB. XVI.

De reis capitalium criminum.

L. 2. de Veteranis & milit. ſucceſſ.

L. 14. de Publicis judiciis.
L. 22. de Accuſation. *juncta l. 3. de Re milit.*
L. 17. de Quæſtionibus.
L. 34. de Pœnis.
L. 3. de Sententiam paſſis.
L. 39. de Jure fiſci.

Commemorat Marcianus in

L. 1. §. ult. de Requirendis reis.
L. 3. pr. de Bonis eorum.

LIB. XVII.

L. 42. de Pactis.

LIB. XVIII.

Sors hujus deſlenda, quia nihil ſupereſt.

LIB. XIX.

L. 3. de Lege Rhodia.
L. 43. de Operis libertorum.
L. 23. de Appellationibus.
L. 15. de Re militari.
L. 16. de Caſtrenſi peculio.
L. 5. de Cenſibus.

§. IV. Ex libris duobus DEFINITIONUM, in quibus de variis juris quæſtionibus diſſeruit, hæ ſumtæ ſunt:

LIB. I.

L. 1. de Legibus.
L. 5. de Transactionibus.
L. 37. de Reb. cred. *juncta l. 100. de Verb. obl.*
L. 39. Eodem.
L. 74. de Contrahenda emtione.

L. 8.

L. 8. de Juris & facti ignor.
L. 63. de Ritu nupt.
L. 27. de Pactis dotalibus.
L. 42. de Adminiſt. & per. tut. *cui jungenda ſeq. l. 21.*
L. 21. de Tutelæ & rat. diſtr.
L. 1. de Injuſto rupto.
L. 34. de Heredibus inſtituendis.
L. 79. Eodem. *Labittus 76.*
L. 42. de Vulgari & pupillari ſubſt.
L. 80. de Legatis lib. 2.
L. 79. de Conditionibus & demonſtr.
L. 28. de Obligationibus & act. *Labittus 82.*
L. 123. de Verborum oblig. *à Labitto omiſſa.*

LIB. II.

L. 7. de Juſtitia & jure. *Rectius cum vulgata ad lib. 1. retulit Cujacius.*
L. pen. de Uſufructu accreſc.
L. 59. de Condict. indeb.
L. 6. Quando ex facto tut.
L. 22. de Manumiſſ.
L. 36. de Statuliberis.
L. 45. de Acquirenda poſſeſſ.
L. 49. Eodem.
L. 11. de Diverſis temp. præſcr.
L. 124. de Verborum obligat.
L. 28. de Novationibus.
L. 79. de Solutionibus.
L. 10. de Publicis judiciis.

L. 41. de Pœnis.
L. 17. de Castrensi peculio.
L. 83. de Regulis juris.
Titulo II. Collationis LL. Mosaic. etiam est fragmentum ex hoc libro cum adjectione: sub titulo de judicatis.

§. V. Ex libris duobus de ADULTERIIS, in quibus omnia legis Juliæ capita explicuit, leges sunt descriptæ sequentes:

LIB. I.

L. 13. de Testibus.
L. 12. de Fundo dotali.
L. 7. de Divortiis & repud.
L. 41. de Solutionibus.
L. 2. de Accusationibus.
L. 2. de Custodia & exhib. reor.
L. 6. ad L. Juliam de adult. *Ad* §. 1. *collineat Hieronymus Epist. ad Oceanum & Modestinus l.* 101. *de Verb. sign.*
L. 20. Eodem.
L. 22. Eodem.

LIB. II.

L. 9. de Calumniatoribus.
L. 8. de Divortiis.
L. 8. ad Legem Juliam de adult.
L. 10. Eodem.
L. 8. ad SCtum Turpill.
L. 10. Eodem: *à Labitto omissa.*
L. 6. de Quæstionibus.

L. 4.

L. 4. de Bonis damnatorum.

Meminit Marcianus in

L. 57. de Ritu nuptiarum.

L. 7. §. 1. ad Legem Juliam de adult.

Ex libro Singulari de ADULTERIIS, quo de exercitione publici hujus judicii egit, excerptæ ſunt:

L. 14. de Teſtibus.

L. 11. ad Legem Juliam de Adult.

L. 11. ad SCtum Turpillianum.

Quinque ex hoc libro capita ſunt in Collatione Legum Moſaic. tit. 4.

Ex libro ſingulari ἀστυνομικοῦ Græce conſcripto, de officio Ædilium municipalium, unicum ſupereſt caput, in

L. un. de Via publica & ſi quid in ea.

§. VI. His locis Papinianus nec notato numero nec nomine librorum citatur

in Pandectis.

L. 7. §. 5. de Pactis.

L. 9. §. 4. de Minoribus.

L. 23. §. 2. Ex quibus cauſ. maj.

L. 8. §. 5. 8. de Inofficioſo teſt.

L. 13. §. 5. 6. de Hereditatis petit.

L. 3. §. 2. Quibus modis uſusfr. amitt.

L. 18. §. 9. Familiæ erciſcundæ. [l. 18 d. de Servitut

L. 20. pr. Eodem.

L. 22. §. ult. Eodem.

L. 24. Eodem.

L. 6. §. 2. Communi dividundo.
L. 6. pr. de Religiosis & sumt. fun.
L. 40. de Rebus creditis.
L. 7. de In litem jurando *pertinet ad tit. de Procuratoribus.*
L. 19. §. 1. de Peculio.
L. 10. §. 3. Mandati.
L. 12. §. 8. Eodem.
L. 12. pr. de Distractione pignorum.
L. 9. de Sponsalibus.
L. 2. de Pactis dotalibus.
L. 7. §. 8. de Donationibus inter virum.
L. 23. Eodem.
L. 4. §. 2. de Suspectis tutoribus.
L. 1. §. 1. de Tutelæ & rat. distr.
L. 35. de Heredibus instituendis.
L. 18. de Conditionibus institut.
L. 20. §. 4. de Acquirenda hered.
L. 97. Eodem.
L. 15. pr. ad SCtum Silanianum.
L. 34. §. 5. de Legatis lib. 1.
L. 43. ad SCtum Trebellianum.
L. 15. §. 1. de Operis libertorum.
L. 1. in fin. de Libertis univers.
L. 14. §. 5. de Furtis.
L. 15. §. 29. de Injuriis.
L. 1. §. 4. ad SCtum Turpilianum.
L. 4. de Quæstionibus.
L. 10. §. 3. de Appellationibus.

L. 28.

L. 28. de Jure fisci.
L. 50. Eodem.
L. 2. §. 2. de Decurionibus.

In Codice.

L. 10. de Condictione indeb.
L. 22. §. 3. de Furtis & servo corr.
L. 6. de Institut. & substitut.
L. 9. Eodem.
L. 10. pr. de Adoptionibus.
L. 13. de Sententiam passis.

ex Quæstionibus.

L. 14. C. de Sententiis & interlocut.

ex Responsis.

L. 35. §. 1. C. de Inofficioso test.
L. 8. C. de Institut. & substit.
L. 16. C. de Fideicommissis.
L. 30. C. Eodem.
L. 3. C. de Acquirenda possessione.
L. 12. C. de Legatis.
L. 14. C. de Prædiis & aliis Rebus.

In Institutionibus.


§. 2. de Excusatione tutorum.
§. 7. de Suspectis tut.
§. 8. de Rerum divisione.
§. 4. de Usucapionibus.
§. 5. de Testamentis ord.
§. 14. de Legatis.
§. 7. de Fideicommiss. hered.
§. 1. de Codicillis.



INDEX
VERBORUM, RERUM, LEGUM ET AUCTORUM.

A.

Accursii metachronismus. 27
Adoptantes parturitionem simularunt. 304
Adoptio imago naturæ. 101
- - commentum & ludibrium. 103
Adulterium differt à stupro. 49. ejus etymologia. 152. cur tantum in nuptam committitur. 251. cur in uxore gravius punitur. 252
Advocatorum corpus seminarium dignitatum. 307
Advocatus Fisci quando institutus. 310
- - ejus officium auspicium honorum. 309
Ædiles municipales curatores viarum. 257
Ænigmata Pap. 65
Ætas ædificiorum quid sit 60
Agoranomi differunt ab Astynomis. 254
Alfenus cur durius reprehensus. 344
Amerbachii integritas. 389
Anaphora. 62
Animadversio pro gladii pœna. 392



Antio-

Antiochiæ nomen multis commune. 119
- - Syriæ metropolis. 120. à Severo mulctata. 122. colonia facta. 123
Appellatio & nomen differunt. 153
Argumentum à contrario. 139
Assessores cur olim necessarii. 323. vocantur juris studiosi. 324. præfecti prætorio facti. 325
Assessoriorum libri. 236. 324
Astynomi sunt Ædiles municipales. 253
Auctoritas Papiniani quanta. 265. 279
Auditorium locus juridicundo. 321
- - - Papiniani idem quod Severi. 322
Augustinus Pater illustratus. 116. 350
Αὐτοχειρία impunita. 158

B.

B*Aronius* Papinianum temeratæ religionis Christianæ arguit inique. 361
- - - - notatus. 391
Bartoli prærogativa. 284. elogia. 27
idem reprehensus. 27. 223. 321
Basilica illustrantur. 346. 348.
Beneventum non est patria Papiniani. 2
Bertrandi errores. 9. 36. 248. 256. 272
Bestius 348
Bodini censura refellitur. 397
Boldonii inscitia. 11

Brenkman. 13. 201. 338
Brissonius laqueo suspensus. 388
- - - cum Pap. comparatus. 389
Budæus sugillans Pap. refellitur. 49
Bynkershœkius 80. 159. 183. 279

C.

Capitolinus illustratus. 327
Caracalla Magnus. 263. Maximus. 352 Divus. 356. ejus tituli. 358. mores pessimi. 369. occidit Getam. 371. & Papinianum. 391. cum Nerone comparatus. 358. 372
Casaubonus (Isaac) defensus. 308
- - - notatus. 4
Cautiones Pap. 201
Christiani Atheorum numero. 373
- - - in Severi palatio. 365
Chrysostomi prærogativa. 283
Cicero illustratur. 92. 110. 144. 184
Codicillis cur hereditas non datur. 204
Confarreatio. 110
Contanus notatus. 215
Constitutiones separandæ à jure. 180
- - non semper receptæ. 182
Consularia ornamenta Præfectis data. 328
Consulatus honorum apex. 327
Conventio in manum quando sublata. 109

Corpus Papiniani, Homeri &c. 272
Cujacius laudatus. 41. 131. 149. 180. 284. 392
- - notatus. 60. 72. 77. 88. 128. 180. 216. 248. 255. 342
- - ſententiam mutare non erubuit. 351
- - primus docuit jungere inſcript. 405
- - cum Pap. comparatus. 387
- - ejus laus Papinianea. 169
Cuperus 162

D.

Efinire & definitiones quid ſint. 244
Demoſthenis auctoritas apud Juriſc. 37
Difficilius eſt nullo modo. 342
Diligentia Pap. 335
Diſcipuli Pap. 223
Diviſio rerum in corporales & incorporales unde. 135
Dominus pro marito. 115
Domna Philoſopha. 127. pro domina. 128
Dukerus. 50

E.

E pro I 13
Eckius. 226. 272
Edicti perpetui auctoritas. 259
Edicta Prætorum jus incertum. 193

Eleganter eſt docte. 56
Emiſa patria Papiniani. 4. ſtudiis clara. 29
Explicit in fine librorum unde. 260
Exter pro extraneo. 71

F.

FAber (Antonius) notatus. 303
ejus laus Papinianea. 234
Facti ſceleritas. 159
Felicitas temporum Severi. 357
- - cui tribuenda. 359
Fermatus notatus. 36
Feſtinare adverſus jus gentium. 172
Feſtum Pap. 269
Fetus Jctis non eſt animal. 155
Fidejuſſor ante debitorem non conveniendus. 184
Fini pro ad modum. 69
Fiſci quando mala cauſa. 311
Florentinus Pap. diſcipulus. 226
Formularius. 309
Formulæ quando ſublatæ. 202
- - - regulam indicantes. 247
Fragmenta Pap. 404
Freheri laus Papinianea. 282
Friguſculum. 53
Fronto Pap. civis & æqualis. 8
Fulvia. 97

G.

Galvanus Socini imposturam detexit. 397
Geta an cum patre imperavit. 23
- - à fratre diffidet. 368. ejus mores. 369
mors. 371
Gladius honestior securi. 393. jus gladii. ibid.
Gordianus Papiniani discipulus. 226
Gothofredus (Jacobus) laudatur. 84. 245. 250. 259. 279. 290. 313
- - - notatur. 76. 258. 285
Goveanus sententiam retractat. 351
Gracilis inter cognomina. 12
Græca lingua frequens Romæ. 30
-- Syris familiaris. 32. qui Jurisconsulti ea maxime imbuti. 30. 212
Grammaticæ studium commendatur. 47
Grotius Hugo notatus. 103
- - Wilhelmus notatus. 11. 256
Gutherius laudatus. 235. reprehensus. 23. 208.

H.

Harmenopulus integra habuit scripta Pap. 304. ejus ætas. ibid.
Heredem institui honor. 58
Hereditas liberorum parentibus luctuosa. 171. 402

Herodiani defectus. 374
Hieronymus illustratus. 251. 255. 261. 272
Hippocrates errores suos correxit. 351
Homeri auctoritas apud JCtos. 35
- - locus illustratus. 93
Honorarium jus. 193
Horatius illustratus. 285. 384
Hostium potitus. 57
Hotmanus Papiniano comparatus. 389
- - - notatus. 9. 347. 49
Huberus (Zach.) 342
Hypotheca generalis vincit specialem. 198
Hysterologiæ exempla. 63

I.

IMperatores usi verbis Pap. 46. eum laudant. 167. 273. ejus auctoritate constitutiones muniunt. 275. sunt Pontifices Maximi. 177. scriptis aditi. 313. eorum tituli divini. 353. 355
Injuria pro exheredatione. 57
Inscriptiones legum quantæ utilitatis. 404
Inscriptiones antiquæ illustrantur. 11. 13. 19. 25. 57. 63. 100. 111. 116. 118. 120. 177. 244. 257. 314. 328. 329. 358. 396. 400. 401
Insuper habere. 70
Integræ frontis homo. 88

Josephus

Josephus de Rusticis notatus. 2
Is pro es in accusandi casu. 77
Isernia Andreæ prærogativa. 285
Judaica dicendi genera in Pandectis. 29
Judaica superstitio. 365
Julia Philosopha. 127. Pap. cognata. 4
Jupiter Capitolinus Opt. Max. 353
Jurgium, contentio inter fratres. 52
Jus divinum. 175. naturæ & gentium non differunt. 170. Romanum Græce difficulter tractatur. 31. doctorem desiderat. 209
Jurisconsulti qui. 169. posteriores fere peregrini. 8. excellentes rari. 280. dicuntur juris studiosi. 402. amant verba Pap. 45. propriam Physicam habuere. 136. cur Stoici. 150. periti utriusque juris. 175. jus novum sæpe ignorant. 181. de facto non respondent. 216. eorum mos docendi. 223. consulti viva voce vel per epistolam. 239. alii veris alii fictis nominibus in Responsis utuntur. 240. scripsere secundum ordinem Edicti perpetui. 259. in scholis Pap. Responsa explicabant. 267. alios sæpe durius refellunt. 343. pertinaciter aliquando sententiis inhærent. 345. prudentiores variarunt. 350. cur Magistri libellorum facti. 314. eorum Ars vocatur prudentia. 167. sectæ. 227. integritas

gritas suspecta. 243. auctoritas major Principali. 274
Jurisjurandi recusatio honesta. 161
Jurisprudentiæ facies sub Valentiniano. 297
Justinianea festa. 269
Juvenalis illustratus. 6. 7. 33. 52. 329
Juvenes præcocis ingenii. 20

K.

Kinustum calumniatoribus. 92

L.

L*Ampridii* locus examinatus. 224
Latinitas Pap. defensa. 69. 72. 78. 80
Latinus Largus Judex pedaneus. 236
Lecti argentei in supellectile. 95
- - geniales. 105
Lectius laudatus. 397
- - notatus. 20. 311. 396
Leges illustratæ ex Pandectis.
L. 57. pr. ad SCtum Trebell. 2
L. 1. §. 4. de Censibus. 5. 9
L. 1. de Excusationibus. 31
L. 1. de Legibus. 38
L. 6. §. 1. ad Legem Juliam de adult. 49
L. 3. §. 3. de Usuris. 53. 326
L. 58. de Legatis lib. 2. 59

L. 19.

L. 19. Ex quibus cauſ. maj. 61
L. 8. §. 2. de Vacatione mun. 73
L. 6. de Collat. bon. 75
L. 13. D. de Teſtibus. 88
L. 9. de Supellectile legata. 36. 92
L. 8. ad L. Jul. Maj. 97
L. 10. §. 2. ad L. Juliam de adult. 98
L. 4. §. 3. de Condictione ob turp. cauſ. 100
L. 23. de Liberis & poſth. 101
L. 121. §. 2. de Verb. obl. 108
L. 37. de Rebus auct. jud. 119
L. 38. §. 4. de Legatis lib. 3. 127
L. 7. Soluto matrimonio. 131
L. 64. de Evictionibus. 132
L. 84. de Acquirenda her. 133
L. 50. de Hereditatis petit. 135
L. 15. de Condit. inſt. 142
L. 8. §. 4. de Vacatione mun. 145
L. 24. ad SCtum Trebell. 153
L. 7. de Servis export. 156
L. 3. de Bonis eorum qui ante. 158
L. 73. de Contrahenda emtione. 176
L. 11. de Duobus reis. 184
L. 102. de Conditionibus & dem. 188
L. 2. Qui potiores in pign. 198
L. 20. de Compenſationibus. 203
L. 10. de Jure codicillorum. 204
L. 1. §. 2. de Uſuris. ibid.
L. 209. de Condit. & demonſtr. 210

gritas suspecta. 243. auctoritas major Principali. 274
Jurisjurandi recusatio honesta. 161
Jurisprudentiæ facies sub Valentiniano. 297
Justinianea festa. 269
Juvenalis illustratus. 6. 7. 33. 52. 329
Juvenes præcocis ingenii. 20

K.

K inustum calumniatoribus. 92

L.

L*Ampridii* locus examinatus. 224
Latinitas Pap. defensa. 69. 72. 78. 80
Latinus Largus Judex pedaneus. 236
Lecti argentei in supellectile. 95
- - geniales. 105
Lectius laudatus. 397
- - notatus. 20. 311. 396
Leges illustratæ ex Pandectis.
L. 57. pr. ad SCtum Trebell. 2
L. 1. §. 4. de Censibus. 5. 9
L. 1. de Excusationibus. 31
L. 1. de Legibus. 38
L. 6. §. 1. ad Legem Juliam de adult. 49
L. 3. §. 3. de Usuris. 53. 326
L. 58. de Legatis lib. 2. 59

L. 19.

INDEX.

L. 19. Ex quibus cauſ. maj. 61
L. 8. §. 2. de Vacatione mun. 73
L. 6. de Collat. bon. 75
L. 13. D. de Teſtibus. 88
L. 9. de Supellectile legata. 36. 92
L. 8. ad L. Jul. Maj. 97
L. 10. §. 2. ad L. Juliam de adult. 98
L. 4. §. 3. de Condictione ob turp. cauſ. 100
L. 23. de Liberis & poſth. 101
L. 121. §. 2. de Verb. obl. 108
L. 37. de Rebus auct. jud. 119
L. 38. §. 4. de Legatis lib. 3. 127
L. 7. Soluto matrimonio. 131
L. 64. de Evictionibus. 132
L. 84. de Acquirenda her. 133
L. 50. de Hereditatis petit. 135
L. 15. de Condit. inſt. 142
L. 8. §. 4. de Vacatione mun. 145
L. 24. ad SCtum Trebell. 153
L. 7. de Servis export. 156
L. 3. de Bonis eorum qui ante. 158
L. 73. de Contrahenda emtione. 176
L. 11. de Duobus reis. 184
L. 102. de Conditionibus & dem. 188
L. 2. Qui potiores in pign. 198
L. 20. de Compenſationibus. 203
L. 10. de Jure codicillorum. 204
L. 1. §. 2. de Uſuris. ibid.
L. 209. de Condit. & demonſtr. 210

L. 38. §. 2. de Auro & arg. 213
L. 41. de Vulgari & pup. 222
L. un. de Via publica 253
L. 18. de His quæ ut indign. 262
L. 8. de Pactis. 281
L. 40. de Rebus cred. 297. 316.
L. 12. de Distractione pign. 312
L. 27. de Donationibus. 333
L. 6. de Servis export. 347
L. 24. Depositi. 348
L. 3. §. fin. de Decurionibus. 364
L. 8. §. 1. de Pœnis. 392
Collat. LL. Mos. 84. 124. 138

Ex Codice.

L. 10. C. de Adoptionibus. 108
L. ult. C. de Sententiam pass. 300
L. pen. C. de Condictione indeb. 302
L. ult. §. 3. C. de Furtis. 346
L. un. C. Th. de Responsis prudentum. 277
Nov. 4. 17. 184. 186
Nov. 108. 65. 168
Nov. 106. 119
Lenocinii professio. 99
Lex Julia caducaria. 183. *Julia* de adulteriis. 249. à Severo repetita. 250. egit de fundo dotali. ibid. *Papia* à Severo sublata. 191. *Remmia.* 87
Libellos agere quid sit. 312

Lignum

Lignum pro tabulis. 59
Litium execratio. 339
Logicæ utilitas in Jurisprudentia. 136
Longinus à Nerone deportatus Pap. comparatur. 386
Lubricum ætatis. 53
Luxus Romanorum. 95

M.

Macrinus Papiniani successor. 317
Caracallam occidit. 394
Magistri libellorum officium. 312
- - gradus ad altiora. 314
Manus fidei & traditionis symbolum. 109
Marcellea festa. 269
Marcianus notas scripsit in Pap. 285. reprehensionis gratia. 298. ejus assessor. 325
ercifcundus. 298
Marcus Philosophus. 123. ejus elogia. 212
Mariti pro conjugibus. 63
Matheseos utilitas in Jurisprud. 130
In *Matrimonium* convenire. 113
Media Jurisprudentia. 26
Meretricum tria genera. 99
Messius Pap. discipulus. 226
- - ejusdem assessor. 325
Milites rem pœnalem administrarunt. 391
Misitheus tutor imperii. 329

Modestia Pap. in suis proponendis. 341
- - - in aliis refellendis. 343
- - - in sententiis retractandis. 345
Modestinus cujus discipulus. 227
Molinæi prærogativa. 283
Monumenta Pap. spuria. 395
Moribus tribuuntur quæ ex lege. 87. 194
Mornacius notatus. 117
Morus (Thomas) cum Pap. comparatus. 387
Moses illustratus. 107
Mucia festa. 269
Municipia Græca. 33
Muretus notatus. 38

N.

Nicostratus Rhetor Pap. æqualis. 333
Nomina patrum quando ad filios non translata. 11. Romana adscita. 17
Noodt 39. 115. 139. 190. 204. 218. 350
Noster Scævola. 209
Notare & notas scribere quid sit. 285
Notæ non semper distinctæ. 286. nec semper animo reprehendendi scriptæ. 287. Ulpiani & Paulli in Pap. à Theodosio sublatæ. 300. à Justiniano restitutæ. 301.
Nuptiæ per Confarreationem, Coëmtionem & Usum. 110. cum noverca incestuosæ jure gentium. 173.

O.

O.

Osselius notatus. 135
Opinio Papiniani adversus alios probatur. 276
Oppiani carmina. 358
Optimi Maximi Principes qui. 23
Oratio de liberalitatibus conjugum an duplex. 264
Orationes Principum quis composuit. 377
Ordine turbato mori. 401
Ordo accuratus in scriptis Pap. 259
Ornamenta consularia. 328
Orthographia antiqua Pand. 75.

P.

Papiniani patria. 3. parentes. 10. nomina. 13. 16. genus. 14. ætas. 22. Græcismi. 40. peritia sermonis Latini. 44. elegantiæ studium. 56. brevitatis amor. 64. 154. verba prisca. 68. orthographia. 75. Latinitas defensa. 78. ingenium acutissimum. 129. studium etymologicum. 151. elogia. 166. peritia juris naturæ. 171. divini. 176. antiqui. 183. novi. 186. publici. 191. prætorii. 192. non scripti. 194. forensis. 195. cautiones simplices. 200.

200. rationes minus accuratæ. 203. præceptor. 207. diſcipuli. 223. ſecta. 228. ſcripta. 233. 259. auctoritas. 267. prærogativæ. 278. corpus. 271. honores. 306. auditorium. 321. aſſeſſores. 323. mores. 331. ſimplicitas. 337. modeſtia. 340. genus ſupplicii. 391. tempus mortis. 398. monumenta. 394. fragmenta. 404

Papinianiſtæ. 267

Papinianus cur Æmelius. 13. Papianus. 17 ſplendidiſſimus. 14. pulcherrimus. 15 juſtiſſimus. 166. Aſylum juris. ibid. excellentiſſimus. ibid. conſultiſſimus. 167. prudentiſſimus. ibid. ſapientiſſimus. 168. diſertiſſimus dictus. 47. fuit trilinguis. 29. primus jura tractavit Græce. 30. Homeri ſtudioſus. 34. Demoſthenem amavit. 37. vixit ſeculo æneo. 43. Hiſtoricus. 82. Geographiæ peritus. 116. Philoſophus. 125. Mathematicus. 130. Phyſicus. 133. Dialecticus. 138. Stoicus. 149. Παραδέξιος. 175. auxit Juriſprudentiam. 186. æquitatis ſtudioſus. 197. 299. ſuperavit Scævolam. 216. diſſenſit à præceptore. 219. Sabinianus. 230. magni fecit Julianum & Sabinum. 229. levia non tractavit. 234. raro utitur aliorum auctoritate. 241. regularum artifex. 246. ſcripta

ſcripta diviſit in titulos. 260. ſenex edidit ſcripta. 261. Divo Paullo comparatur 270. à Prætore Urbis conſultus. 273. ſingulos vincit cedit duobus. 280. à Principibus laudatus. 275. à Paullo, Ulpiano & Marciano notatus. 285. rectc. 287. calumnioſe. 294. aliis prælatus. 276. 291. aliis exæquatus. 300. interpolatus à Triboniano. 303. fuit Advocatus fiſci 309. Fiſco contrarius. 311. Aſſeſſor. 324. Magiſter libellorum. 312. Præfectus prætorio. 316. Conſularis. 308. Tutor imperii. 329. religioſus. 332. pius in parentes, liberos, præceptores. 332. æquus, caſtus, diligens. 335. litibus minuendis ſtuduit. 339. ſententiam mutat. 345. in verbis facilis. 354. Severi mores emendavit. 359. Chriſtianos fovit. 364. Getæ partes ſequutus. 370. ab Antonino dimiſſus. ibid. parricidium excuſare renuit. 373. ſecuri percuſſus. 390. vates vindictæ. 394

Partus ancillæ non eſt in fructu. 156

Patriæ poteſtatis rigor quando ſublatus. 84

- - jus, lege an moribus. 87

Paullus natione Romanus. 10. Scævolæ diſcipulus. 209. notas ſcripſit in Pap. 285 πολυγραφώτατος. 290. ejus Reſponſa ſtudioſi ſine Doctore legebant. 291. obſcurus.

ſcurus. 291. aliorum cenſuram affectavit. 294. de eo judicia. 295. calumniator. 295. liber in ſententia dicenda. 296. 323. Sabinianus. 297. Papiniani aſſeſſor. 324. cum eo comparatus. 326. 297. Chriſtianis infenſus. 361
Philoſophi rari. 146
- - - pecuniam ſpernant. 147
Philoſophia vera & ſimulata. 144
- - - ejus uſus in Juriſprudentia. 125
Pietas pro patria poteſtate. 56
Pignorius. 10
Plautianus Pap. anteceſſor. 316
- - - Chriſtianorum perſecutor. 364
Plinius illuſtratur. 90. 104. 281
Πλοκή. 62
Poſſeſſio ſine poſſeſſione. 61
Præfectus prætorio. 317
- - - ejus auctoritas. 318
- - - cur ex litteratis lectus. 319
- - - vice ſacra judicabat. 320
Provinciales juris diſcendi gr. Romam profecti. 208

Q.

Q*Uæſtionum* libris controverſiæ explicantur difficillimæ. 234
- - - earum formulæ. 235

- ſimi-

- - - similes Assessoriorum libris. 236
- - - differunt à tractatibus. 237
Quæstoria ætas. 399
Quidam apud Paullum quem notet. 296

R.

Rationes Jurisconsultorum minus accuratæ. 203. 205
- - - breves. 212
- - - sæpe omissæ. 242
Regulæ juris ex Philosophia morali. 141
Regularum libri. 245
Reinesius. 12. 327
Reinoldus. 76. 405
Religio Papiniani. 332
- - sepulchrorum. 176
Remmia lex quando consenuit. 87
Res pro lite. 54
Rescribunt JCti respondentes. 239
Rescripta Principum usu fori comprobanda. 274
Responsa Scævolæ ad gratiam composita. 218. etiam recentiorum. 243
Responsa Papiniani vera consulentium nomina non habent. 240
- - - stricte accipienda. 241
- - - ingruente senio collecta. 262
- - - octo eorum libri in scholis expositi.

positi. 267
- - - in judiciis pro jure allegata. 271
Rumpere pro corrumpere. 71
Russardus reprehensus. 47. 286. 317
Rutilii Rufi exilium. 385

S.

Sabinus apud Papin. quantus. 230. 346
Sabinus Pap. discipulus. 226
Salmasius notatus. 75. 225. 308
Scævola (Mucius) auctor regularum. 245
- - cum Pap. comparatus. 386
Scævola (Cervidius) Pap. præceptor. 207
non fuit Muciorum gentilis. 210. nec à Tryphonino derisus. ibid. Jurisconsultorum coryphæus. 211. de jure non de facto respondit. 215. affectator antiquitatis. 212. obscurus. 213. dubiæ integritatis. 218. à Pap. victus. 220. durior Papiniano. 333. ejus symbolum. 335
Scaliger (Joseph.) notatus. 320
Schilterus reprehensus. 172. 198. 211
Schultingius. 366
Scrinia quatuor. 312
Scriniorum magister pro scrinii. Ibid.
Sectæ Jurisconsultorum. 228
Securis supplicium. 393
Sejanus tutor imperii. 329

Seleucus

Seleucus Conful. 221
Seneca illuftratus. 135. 150. 162
Senecæ infamia ob parricidium defenfum. 383
Sententiæ numerantur non ponderantur. 281
Sepulcrorum luxuria repreffa. 178
Severus Imp. quando obiit. 21
- - Advocatus fifci ante Pap. 308
- - cur condidit leges æquas. 315
- - Legem Juliam revocavit. 249
- - Pap. fecit Præf. præt. 319
- - diligentiffimus fuit. 335
- - vocatur Optimus Maximus. 352
- - Pacator orbis & fundator imperii. 357
- - - ejus uxor. 3. 126
Signum Dei. 213
Simplicitas opponitur fubtilitati. 338
- - - cur legibus amica. ibid.
Socinus impoftor. 396
Σῶμα pro libro. 272
Spartianus notatus. 21. 22
- - - illuftratus. 4. 18. 58. 377
Spanhemius laudatus 123. notatus. 263
- - - ejus cenfura Pap. retufa. 352
Stipulationes partis captiofæ. 337
Stoicorum cognatio univerfalis. 156
ἀπάθεια. 157. αὐτοχειρία. 158. impubes

fenfu

ſenſu caret. 160. opinio de immortalitate animæ. 162. libertatis ſtudium. 163
variationes. 349
Stupri etymologia. 51. 152
Syri in Urbe clari. 6
- - vocantur Græci. 32

T.

Tacitus illuſtratur. 99
Tertullianus expoſitus. 24. 57. 190. 365. 393
Theodoſius Jurisc. vim legum dedit. 277
Theophilus notatus. 245
Tiraquellus reprehenſus. 25
Toullieu. 212
Thuanus lanienam Pariſienſem excuſavit. 384
Tractare dicuntur Jurisconſulti. 236
Tractatus differt à quæſtione. 237
Tribonianus plus ſemel Papin. interpolavit. 303
- - - ejus libros flammis non mandavit. 304
- - - variationes Pap. ſugillat. 347
- - - fixit leges pretio. 352
Tryphoninus Pap. condiſcipulus. 227
- - - ejus aſſeſſor. 325
Tutores Imperii. 329

Tutorum perfidia. 53

V.

VAriationes Pap. 345
Vaticinium Pap. 394
Venter pro eo qui in utero. 153
Vetare pro arcere. 73
Victor reprehensus. 375
Videri pro esse. 342
Ulpianus natione Syrus. 9. prudentissimus. 289. sæpe Papin. auctoritate usus. 270. notas in eum scripsit iniquas. 285. 298. Pap. æmulus. 289. ejus docendi methodus. 290. cavillis delectatus. 294. æquitatis amans. 298. scrinii magister. 313. Pap. assessor. 324. Alexandri tutor. 329 cum Papin. comparatus. 297. 326. varia eruditione clarus. 289. vir bonus. 360.
Usuræ ab usu. 153
- - jure naturæ permissæ. 161
Uxores coëmtæ. 110
- - velut ancillæ. 115
- - dominæ. 117

W.

WÆchtlerus. 132
Wissenbachius notatus. 86. 127. 303

Z.

Z.

ZAsius reprehensus. 25
- - ingenue sententiam mutat. 351
Zonaras illustratus. 17
Zosimus notatus. 374.







